

Dat. die
7 decembris
1781
Anno VII

CCCXLIV.

Conservatorio puellarum mendicantium civitatis Foroliviensis applicatur summa sc. 500 ex fructibus superextantibus aliorum locorum piorum.

Venerabili fratri Josepho
episcopo Foroliviensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

Proemium

§. 1. **R**omanum decet pontificem tamquam fidelem servum, et prudentem, quem constituit Dominus super familiam suam, non modo spiritualium providentiam catholicæ Ecclesiæ, quantum divina bonitas largitur, iugi vigilantia exhibere, sed et temporalium circumspeditione præsertim suorum, et apostolicæ Sedis etiam quoad temporalia subditorum commodo indesinenter consulere, eaque de causa illa omnia sollicitis studiis curare, quæ communis utilitatis rationi, et reipublicæ bono consentaneum esse in Domino arbitratur.

Expositio precum.

§. 2. Siquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum deputatorum, seu administratorum conservatorij puellarum mendicantium istius Nostræ civitatis Foroliviensis expositum fuit, quod ipsi alias tribus nempe ab hinc annis in conservatorio almæ hujus Nostræ urbis Pio nuncupato puellam collocarunt, ad hoc, ut istic artem perficiendi cannabim, et linum perficeret, quæ quidem cum jam ad hanc artem sit sufficienter instructa in hoc conservatorio Foroliviense brevi est regressura, ut ibi per quinquennium moram trahat, cæterasque puellas in dicto conservatorio degentes juxta pacta, et conditiones inter eandem puellam, et prædictos administratores conventa perceptas artes edoceat. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, annui redditus dicti conservatorii adeo tennes sint, ut vix exponentes prædicti aliquam partem conferre potuerint, tum mensuræ debitæ pensionis, cum aliarum expensarum, quæ ad sua alimenta in alma urbe Nostra fuerunt necessaria, eaque propter ad rhombos, præla, testoria, aliæque instrumenta hujusmodi, nec non aptam cannabis, et lini quantitatem comparandam, aliasque necessarias itineris expensas, ac congrua ei

alimenta in dicto conservatorio suppeditanda impares omnino sint. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur conservatorium, ^{Tenor concessivis} et exponentes prædictos specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ipsosque exponentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuæ, de cujus prudentia, fide, ac religione, et in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus, harum serie committimus, ac mandamus, ut ab omnibus sodalitorum, aliorumque locorum piorum hujus civitatis Foroliviensis administratoribus redditionem rationis exigas, ac superextantes summas eisdem sodalitiis, ac locis piis non necessarias eidem conservatorio pro summa dumtaxat scutorum quingentorum monetæ Romanæ in totum ad instrumenta prædicta comparanda, dictisque expensis supplendum auctoritate Nostra apostolica applices, ac dones; quod si omnes summæ hujusmodi insimul coacervatæ ad dictam quantitatem scutorum quingentorum non ascenderint, tibi pariter injungimus, ut administratoribus prædictis facultatem imponendi vel annum censum super bonis ad dictum conservatorium spectantibus, vel quodcumque aliud æs alienum, eo tamen modo, quo dicto loco pio utilius futurum erit, auctoritate apostolica concedas, et tribuas.

§. 4. Nos enim tibi quamcumque ^{Clausula salutaris.} necessariam, et opportunam nedum sub pœnis arbitrio tuo imponendis, ac etiam per censuras ecclesiasticas cogendi administratores sodalitorum, aliorumque locorum piorum ad exhibitionem librorum, et status reddituum, et respective onerum cujuslibet ex locis piis prædictis, ad hoc ut constituto de quantitate reddituum superextantium exinde statuatur, ac præscribatur summa, quæ ab unoquoque ex locis piis in prædictam causam conferri debeat, sed etiam ad præmissa omnia, et circa ea, quæ ad dictæ summæ applicationem, ac ejusdem conservatorii utilitatem pertinent, faciendi, gerendi, dicendi, et

exequendi, ac exequi mandandi ea omnia, quæ pro præsentium literarum executione componere, et constituere, ac decernere in Domino salubriter expedire conspexeris plenam, et amplam facultatem auctoritate prædicta harum serie tribuimus, et impertimur. Mandantes propterea virtute sanctæ obedientiæ, ac sub indignationis Nostræ, aliisque arbitrio Nostro imponendis pœnis, omnibus, et singulis deputatis, officialibus, et ministris confraternitatum, sodalitiarum, cæterorumque locorum piorum superioribus, ut in omnibus prædictis prompte pareant, et obediant, tibi que parere, et obedire studeant, et curent.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non sodalitiarum, aliorumque locorum piorum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub anulo piscatoris, die septima decembris millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.



CCCXLV.

Dat. die
15. decembris
1781
Anno VII.

Hortatio ad imperatorem Romanum, et Hungariæ regem apostolicum, ut amicalibiter componeret jurgia suborta super nominatione episcoporum in regno Lombardiæ.

Carissimo in Christo filio Nostro Josepho Hungariæ regi apostolico, nec non Bohemiæ regi illustri in Romanorum imperatorem electo.

Pius PP. VI.

Charissime in Christo
fili noster salutem
et apostolicam benedictionem.

§. 1. **R**eddidit Nobis die ix elapsi novembris dilectus filius Noster Franciscus S. R. E. cardinalis Herzan minister apud Nos plenipotentarius Cæsareæ majestatis tuæ humanissimas literas die xi mensis octobris datas, quibus ad Nostras xxv. augusti rescripsisti. In iis perlegendis vehementer indoluimus, nihil apud te preces, obsecrationesque valuisse, quibus enixe flagitabamus ne spoliari per Nos velis apostolicam hanc Sedem antiquissima facultate conferendi in tuis Lombardiæ ditionibus episcopatus, abbatias, et præposituras; omninoque tibi propositum esse, eas collationes, vel ut ad supremam tuam potestatem pertinentes, vindicare. Nolumus plane, carissime in Christo fili Noster, in ulla hic tecum ingredi ejus generis contentiones, quales fuere medio ævo excitatæ, cum deinceps reddita tranquillitate, Ecclesia regressa est ad vetustam juris possessionem conciliorum etiam œcumenicorum sensu confirmatam,

Dolet pontifex absque effectu mansisse alias literas ad rem datas.

§. 2. Ab hisce disputationibus alienus prorsus est, atque abhorret animus Noster, illaque alto Nobis insita, quate semper prosequi constituimus paternæ charitas. Nihilominus tamen te in Domino rogamus, ne ulli juri tuo, regiæque potestati quidquam derogari putes, si quod certum, indubitatumque omnino est, affirmamus, apostolos, dum fundarent Ecclesiam, et constituerent super iisdem presbyteros, atque episcopos, ne suspicatos quidem esse, eo modo in civilis potestatis jura se invadere. Hunc honorem ab apostolis inductum, Ecclesia sibi constanter asseruit, et tenuit, quin inde aliquid detrimenti supremorum imperantium ju-

Profitetur alienus a disputationibus mentis, et quomodo expositæ concessiones, cum bono jure conciliantur.

ribus sit importatum. Contra siquæ in demandandis sacerdotiis potestas exercetur, ad nativa principatus jura pertineret collativum omne non sanctæ Sedis solum, sed et episcoporum per universum orbem jus funditus interiret, ipsaque saluberrima indicendi, habendique concursus disciplina concideret, quod ab eximia pietate tua non potest non abesse plurimum: de bonis vero, quæ beneficiis ecclesiasticis pia tum cæterorum fidelium, tum religiosorum principum largitate ac munificentia accesserunt, non ignorat majestas tua ea esse, et semper in Ecclesia habita fuisse velut Deo dicata, sancteque tractanda, adeo ut constans omni tempore fuerit patrum, fidelisque populi vox, et sententia, fas non esse bona eadem ab usu, ad quem sunt consecrata divertere, quod solum illi violare non verentur qui res ecclesiasticas *quæ Dei sunt*, ut Tridentina synodus, post alias eloquitur, *a cæterarum acervo non discernunt*.

Memorat concessiones factas Benedicto XIV.

§. 3. Hæc ipsa bonorum administratio ne quidquam aliquando suspicionis, vel incommodi afferret, quod regnorum tranquillitati officere videretur, cavet sancta Sedes, et ipsi Nobis maximæ curæ esse profitemur, ne cathedralibus ecclesiis, abbatibus, qui earum ditionum principibus suspecti sint, aut invisî, de quo ipso certe nec antea majores tui gloriosissimi, nec nuper augustissima parens tua umquam dubitarunt. Petierat illa a Benedicto XIV., ut sibi suisque successoribus indulgeretur jus nominandi non jam ad episcopatus, sed tantummodo ad abbatias in Austriacis Italiæ ditionibus positas, relicto tamen sanctæ Sedi tamquam in compensatione, pensionum imponendarum favore subditorum ditionis pontificiæ jure usque ad hanc rem opera usa fuerat dilecti filii Nostri cardinalis Megazzi tum Romanæ rotæ auditoris a quo facile id ipsum rescire poteris. Pontifex professus tum est plurimo se teneri desiderio, ut vera ac solida inter apostolicam Sedem, suamque majestatem sanciretur consensio, quæque illac conducerent libentissime esse excepturum: at et maximam sibi habendam esse rationem declaravit pontificii decoris quod certe neglexisse videretur si dimitteret, quod semper sui prædecessores retinuerant, atque exercuerant eas abbatias ac beneficia. In faustam suum nomen apud successores, et posteros remansurum si uno, ut ait, calamiductu jus hoc pontificium,

eamque prærogativam esset elargitus. Deinde cum nonnulla etiam de illa pensionum compensatione dixisset, ad ea quæ consecutura essent delabens in præsentem, inquit, rerum statu suæ majestatis in Italia subditi ad præcipua munera, et honores apud sanctam Sedem sine ullo a cæteris discrimine admittuntur, et prope semper aliqui ex iis in cardinalium adleguntur collegium, et quandoque etiam ad summum pontificatum evehuntur. At si ea quæ postulabatur fieret immutatio, prævidere se asserit omnino eventurum, ut illi ab iis omnibus necessario excidant, et excludantur. Hæc cum Benedicti verbis renunciata essent gloriosissimæ parenti tuæ, jam tum ipsa ab eo amplius urgendo postulatu pro sua æquitate destitisse re ipsa novimus; maximi enim apud illam momenti erat nomen ipsum Benedicti XIV., quem, et sapientissimum esse intelligebat, et sui Austriacæque universæ domus studiosissimum, cujus animi plura eaque gravissima semper idem, cum viveret, indicia dedit, cum et te ipsum in sui pontificatus initio in tantæ spem successionis tum recens editum a baptismatis fonte suscipere voluisset, sacroque hoc necessitudinis vinculo adhuc magis tecum, et apostolica cum Sede conjungere.

§. 4. Ipsam hanc ob causam Nos erga te, carissime in Christo fili Noster liberaliores esse certe volumus, atque idcirco maximo inflammati desiderio sumus, amice, amanterque tecum, tamquam cum filio pater, agendi, et de proposita re, et de aliis etiam, quæ in his regni dominationis tuæ primordiis multæ prodierunt, quæque Nos in plane miserandam perpetui doloris acerbitem conjecerunt. Sed cum agooscamus id inter Nos agendi consilium per difficile habiturum exitum, nisi os ad os loquatur, in animum Nobis jam induximus isthuc ad majestatem tuam accedere, nullamque præterea rationem habebimus longi atque incommodi itineris, quod ingravescente ætate Nostrisque jam debilitatis viribus, erit peragendum. Ea enim Nos sustentabit maxima consolatio te scilicet alloquendi, coramque declarandi quam simul animo paratissimo ad gratificandum tibi, unaque ad ipsas componendas cum cæsareis tuis juribus Ecclesiæ rationes. Majestatem tuam rogamus, ut animum hunc Nostrum excipias in pignus singularis erga te studii, quo conjungi tecum omnibus amoris, consensionis, ac necessitudinis officiis peroptamus, idque

Postulatur propositum circa amicabilem concordiam.

a te petimus non ulla privata Nostra, sed communi religionis causa, cui, ut a Nobis apostolici ministerii fides, ita a te patrocinii munus omnino debetur

Conclusio

§. 5. Illi si institeris, Deiquæ Ecclesiæ, quam hoc præcipue tempore, tutelam a te implorat præstiteris, egregie certe consules, et potestati, et felicitati, et gloriæ tuæ; atque, ut huiusmodi consilia actionesque omnes per Dei gratiam in te provehantur apostolicam benedictionem ejusdem benignitatis auspiciæ cesaræ majestati tuæ universæque Austriacæ domui amantissime impertimur. Datum Romæ die 15 decembris 1781 pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die
18 decembris
1781.
Anno VII.

CCCXLVI.

Confirmantur statuta civitatis Feretranæ seu Pinnæ Billorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Premium

§. 1. Paterna cura, quam de Nostris, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ etiam, quoad temporalia, subditis gerimus, circa Nos urget, atque impellit, ut ea, quæ pro felici civitatum, et terrarum conditionis temporalis ejusdem Sedis regimine, et gubernio provide constituta esse noscuntur, quo firma semper, et illibata persistent, apostolici muniminis præsidio roboremus, ut in Domino salubriter expedire arbitramur.

Expositio precum; quibus declaratur quomodo statuta condita fuerint, et approbata a cardinali legato a latere, et confirmata a Clemente XIII.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii communitas, et homines civitatis Nostræ Feretranæ, seu Pinnæ Billorum, quod ipsi atentes facultatibus sibi ab antiquo statuto status Montis Feretrani anno MCDLXV. condito a tunc in humanis agente Friderico status Montis Feretrani, et subinde Urbinatensis duce; postmodum vero a felici recordationis Urbano pp. VIII. prædecessore Nostro anno MDCXXXII. per quasdam suas in simili forma Brevis die xxiv. aprilis expeditas literas approbato concessis, per quas facultas impertitur reformandi, corrigendi, immutandi, et augendi leges municipales civitatis, et status huiusmodi, et cum prædictæ leges in desuetudinem, et inobservantiam, seu abusum, et con-

trarium usum nunc evasisent, alias decreverunt de novo condere, ita ut dederint in mandatis dilecto filio Antonio Mariæ Zucchi Travagli civitatis ejusdem id exequi debere, qui partim ex antiquis statutis, et legibus peculiaribus civitatis prædictæ, partim ex constitutionibus apostolicis alias editis, bandimentisque generalibus, et dispositionibus a ducibus pro tempore existentibus dudum publicatis, nec non peculiaribus consuetudinibus, ac demum privilegiis a pro tempore existentibus in Urbinatensi, Eugubina, et Pisarenensi, aliisque civitatibus, et terris, ac locis apostolico incorporationis decreto comprehensis, et ad Sedem apostolicam devolutis ejusdem Sedis de latere legatis antea concessis desumere, et in unum colligere, et condere curavit; quæ quidem leges, et statuta sic condita exponentes prædicti in consilio generali ipsius civitatis die vii. martii MDCCLL. habito in omnibus, et singulis suis numeris admiserunt; et postmodum anno MDCCLVI. bonæ memoriæ Joannes Franciscus, dum vixit, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Stuppanus nuncupatus tunc in Urbinatensi, Eugubino, Pisarenensi, ac aliis locis prædictis dictæ Sedis de latere legatus illas et illa approbavit, ac demum felici recordationis Clemens pp. XIII. prædecessor Noster, exceptis rubrica primi libri de festivis diebus colendis, rubrica trigesima octava libri primi prædicti de mundinis, et mercatis, rubrica tertia, in quibus de maleficiis inquiri possit, rubrica quarta de non cognoscendis maleficiis, et rubrica quinta de mitigatione, et augmentatione poenarum, libro quarto, ac demum rubrica trigesima secunda libri sexti de solutione in ea parte tantum, quæ quomodolibet læderet, et lædere posset immunitatem, et libertatem ecclesiasticam, per suas literas in simili forma Brevis die xxiv. januarii MDCCLXI. expeditas confirmavit.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, aliquas ex dictis rubricis emendari, aliquas vero prorsus obliterari dicti exponentes curassent, et hæc nova statuta sic castigata, quo firmius subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocinio communiri summopere desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Reformat's novissime veteribus statutis nova repositur apostolica confirmatio.

Confirmatio-
nis tenor.

§. 4. Nos igitur ipsos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; statuta, ac leges municipales ejusdem civitatis Feretrane de novo condita, ac a memorato Clemente prædecessore Nostro approbata, et confirmata, ac ut præmittitur, nuper castigata, dummodo tamen sint in usu, ac licita, et honesta, ac sacris canonibus, vel decretis concilii Tridentini, ac constitutionibus apostolicis, et præsertim felicitis recordationis Benedicti pp. XIV. prædecessoris itidem Nostri super nundinis, et observatione dierum festorum, ac immunitati ecclesiasticæ non adversentur, nec non monopolis ausum præbeant apostolica auctoritate tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adiicimus.

Clausula sub-
blata, et de-
cretum irri-
tans.

§. 5. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac omnibus, et singulis, ad quos spectat, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-
trariorum.

§. 6. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava decembris millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCXLVII.

Die
18 decembris
1781
Anno VII.

Confirmatio resolutionis captæ a collegio cappellanorum insignis cappellæ ad Præsepe nuncupatæ in basilica s. Mariæ Majoris de urbe pro renunciatione omnium jurium supradictam cappellam favore familiæ Sforza Cæsarini in correspectivitate restorationum in eadem cappella perficiendarum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **D**udum fel. rec. Sixtus pp. V. prædecessor Noster per suas apostolicas literas datas die xxviii. aug. MDLXXXVII. insignem cappellam ad Præsepe nuncupatam in basilica sanctæ Mariæ Majoris munificentissime erexit, ibique nonnullorum presbyterorum, et clericorum collegium ex uno præposito, uno sacrista, quatuor cappellanis, totidemque clericis compositum decenter iustitavit, quibus certos quarundam ibidem expressarum abbatiarum redditus tam pro congrua eorum sustentatione, quam etiam pro supportatione onerum, et præsertim pro fabricæ, et sacristiæ maintenance assignavit.

Erectio cap-
pellæ ad Præ-
sepe in basili-
ca s. Mariæ
Majoris.

§. 2. Juspatronatus vero, et præsentandi personas idoneas Michaeli Peretti primum, ejusque descendentes masculis, deinde fœminis, earumque pariter descendentes, ac demum deficientibus omnibus masculis, et fœminis proximiori de sanguine ipsius fundatoris primogenituræ ordine semper servato reliquit, et reservavit, prout latius in memoratis literis continetur, quarum tenorem pro expresso haberi volumus.

Juspatronatus
illius quibus
spectet evincit-
tur.

§. 3. Nuper autem dilecti filii præpositus, et alii beneficiati supradictum collegium componentes exponi Nobis fecerunt cappellam præfatam variis reparationibus indigere, quæ licet primum haud gravem impensam præferre viderentur, postea tamen dum manus operi admovere cœperunt ad maximam, et conspicuam summam ascendere compertum est: non enim fenestras tantum, ut ab initio putabatur, sed sublimem quoque testudinem tam intus, quam extra, tectumque pariter, opusque tectorium marmoratum, una cum sacrista necessario restaurari oportebat; ita quidem, ut si diutius reparationes prædictas differri contingeret, periculum

Tenor precum
porrectarum a
cappellanis,
pro obtinenda
licentia alien-
nandi loca
montium pro
explendis re-
parationibus
necessariis in
cappella.

ruinæ totius cappellæ non abs re forsan timeri potuisset; quapropter iidem præpositus, et beneficiati promptas ad tantum onus subeundum pecunias non habentes, nec illas ob deficientiam fundorum in statu Nostro ecclesiastico ad census suscipere valentes supplicari Nobis fecerunt pro facultate alienandi loca septem, et quinquaginta septem centena Montium, quæ unice in urbe possident, ut aliqua saltem ea parte expensis prædictis supplere possint.

Susdet pontifex excitari pietatem patroni ducis Francisci Cesarini, ad reparationes perficiendas.

§. 4. Nos vero considerantes congruum minime esse collegium prædictum unico quod in urbe habet, tenuissimo capitali penitus expoliari, pretiumque præterea ex dictis locis Montium retrahendum sufficere vix posse ad hoc necessarium reparationum opus inchoandum, itant illud postea vel imperfectum remansisset, vel longius saltem, quam par erat protractum fuisset in gravissimum ejusdem cappellæ præjudicium, idcirco prædicto præposito suggerere existimavimus; ut a dilecto filio nobili adolescente duce Francisco Sfortia Cæsariani hodierno patrono, sive a dilecto filio Nostro Innocentio S. R. E. cardinali de Comitibus nuncupato ejusdem Francisci ducis tutore, et administratore per Nos specialiter deputato auxilium peteret.

Ipsemet sua ad rem interponit officia.

§. 5. Immo Nos ipsi, quibus summo corde est, ut cappella prædicta ubi pretiosum ssmi Præsepis monumentum asservatur, et ubi gloriosum quoque recorditum extat corpus s. Pii pp. V. prædecessoris Nostri, quem speciali cultu semper prosecuti fuimus, atque prosequimur, quantocitius reparetur, atque ad suum pristinum decorem, et stabilitatem redigatur, hoc Nostrum desiderium eidem cardinali de Comitibus ore proprio communicavimus.

Patronus se paratum ad reparationes exhibet dummodo ejus favore renunciet capite illam integrum juspatronatus cappellæ.

§. 6. Is vero postquam de quantitate expensarum in hujusmodi restoratione occurrentium, et ascendentium ad summam scutorum sex millium circiter certiorum se fecit, Nobis oratenus, et scripto retulit se pupilli nomine, nulla quidem cogente obligatione, sed solum ad cappellam ejusque nitorem conservandum prædictum onus sponte subire paratum exoptare, tamen ut sicuti in quadam controversia cum capitulo Basilicæ s. Mariæ Majoris exorta revocari cepit in dubium, utrum patronatus dictæ cappellæ ad familiam Cæsariani, vel ad collegium pertineret, ita ad omnem tollendam quæstionem, et dubietatem quoad collegium præfatum, et ad majorem quamdam caute-

lam collegium prædictum cuicumque juri sibi quomodocumque super patronatu præfato competenti renunciaret, illudque duci Sfortia Cæsariani, ejusque descendentes in perpetuum cederet, itaut deinceps totum, et integrum juspatronatus pro eo quod pertinet, seu pertinere potest ad dictum præpositum, et collegium non solum quoad beneficia, sed etiam quoad cappellam ipsam ad dictum ducem, et familiam spectet, et spectare debeat, oblationem, et petitionem istam, quæ nobis æquissima visa est, dicto collegii præposito notam fecimus, ut audito collegio legitimam super ea relationem capesserent.

§. 7. Convocata itaque more solito congregatione sub die xi. septembris proxime præteriti, præpositus, et beneficiati prædicti læto animo, et magna cum gratiarum actione liberalem ducis patroni oblationem excipientes, unanimi omnium voto, et consensione omne jus, quod eorum collegio, tam vigore Bullæ Sixtinæ, quam alio quovis ex capite competere posset, libere eidem duci ejusque in patronatu successoribus perpetuo cesserunt, et renunciarunt juxta resolutionem tenoris sequentis videlicet.

Convenerunt cappellani petitioni, æquissimæ repetitæ ab ipso pontifice.

§. 8. = Fu fatta relazione di quanto è occorso in rapporto alla nostra supplica presentata al santo Padre secondo fu risoluto nell'ultima congregazione delli 11. giugno prossimo passato per avere la licenza d'alienare li pochi luoghi di Monte spettanti alla nostra cappella, onde potere almeno in parte supplire alle gravissime spese occorrenti per la fabbrica di detta cappella, e conseguentemente fu anche riferito, come essendo stata dall'efmo pro-uditore rappresentata al Papa la detta istanza, esso s. Padre si espresse tanto col detto efmo, quanto col nostro monsig. Albizi proposto di non voler accordare tal licenza, sul motivo di non vedere spogliata la nostra cappella di quel poco capitale che possiede nello stato: suggerì peraltro al detto monsignor proposto che si fosse fatto ricorso all'efmo sig. card. Conti come amministratore dell'ecclia casa Sforza Cesarini per avere quel sussidio che gli fosse piaciuto di dare, mentre al di più, o anche al tutto avrebbe supplito la somma munificenza di esso s. Padre, il quale inoltre ebbe anche la benignità di parlare al suddetto efmo sig. cardinal Conti. Questi in sequela richiese informazione dei lavori intrapresi, e delle spese occorrenti, ed ordinatosi senza ritardo

Tenor resolutionis cepte a collegio cappellanorum.

agli artisti il ristretto de' loro rispettivi lavori, e conti, questo si vidde ascendere sulli scudi seimila incirca, e tutto fu esibito al suddetto emò sig. cardinal Conti, il quale in seguito presentò a nostro signore una memoria concernente la di lui determinazione su quest'affare, e fu di far supplire alla casa Sforza Cesarini tutta la spesa occorrente per la nostra fabrica, purchè però dal collegio si ceda, e rinunci a favore di detta eccm̃a casa Sforza ogni, e qualunque dritto potesse competergli sul patronato di essa cappella, come più amplamente dalla ricordata memoria. Susseguentemente tutti li congregati avendo riconosciuta la pia, e benefica intenzione del detto emò sig. cardinal Conti, e la discretissima richiesta che in essa memoria si fa per il compenso al peso che si assume di fare le suddette spese come sopra, tutti di buona voglia, e con sentimenti della maggior riconoscenza accolsero la riferita determinazione di detto emò opportunissima alli presenti nostri bisogni, e perciò ognuno del nostro collegio vi prestò il suo pieno consenso in accordare quanto in essa memoria si chiede, facendo a tale effetto libera, e spontanea cessione a favore di detta eccm̃a casa Sforza di qualunque jus, dritto, o pretensioni che il nostro collegio possa avere sul patronato di detta cappella posto in questione, di modo che il nostro collegio è pronto anche di venire a qualunque altro atto, che si credesse opportuno per maggior validità, e fermezza della presente risoluzione, e per tal motivo ha dato tutte le facultà necessarie, ed opportune al signor don Domenico Mattei camerlengo, perchè a nome del collegio, possa legittimamente venire a qualunque atto, e fare quanto si crederà conveniente per l'esecuzione di quello che si è di sopra risoluto.

Joannes Bernardi Secretarius.

Confirmatio-
nis apostolicæ
tenor.

§. 9. Ut autem resolutio ista, cessione, et renunciatio firmitus subsistat, nulloque unquam defectu, vel exceptione redargui valeat, præpositus, et beneficiati prædicti preces Nobis totius collegii nomine præsentari fecerunt, ut præmissa omnia apostolicæ confirmationis patrocinio communire dignaremur. Nos igitur præpositum, et beneficiatos prædictos specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommu-

Bull. Rom. Tom. VI.

nicationis; suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, supradictam resolutionem, cessionem, et renunciationem cuicumque juri, quod eidem collegio competere posset super patronatu insignis cappellæ ad Præsepe favore ducis Francisci Sfortia Cæsarini patroni, ejusque successorum in infinitum juxta formam in Bulla Sixtina præscriptam tenore præsentium auctoritate apostolica confirmamus, et approbamus, ac inviolabilis apostolicæ firmitatis vim, robur, et efficaciam adjungimus, omnesque, et singulos tam juris, quam facti defectus, et solemnitates quascunque tum ex juris communis, tum ex apostolicarum constitutionum præscripto observandas amplissime supplemus.

§. 10. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non dictæ cappellæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima octava decembris, millesimo septingentesimo octuagesimo primo, pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio con-
trariorum.



CCCXLVIII.

Dat. die
30 decembris
1783
Anno VII.

Homilia habita in ecclesia s. Ludovici
Gallicæ nationis in consecratione
R. P. D. Francisci De Bernis episco-
pi Apolloniæ in Macedonia.

Proemium

§. 1. **A**ntequam huc hodie, vene-
rabilis frater, accederes, perspectum
tibi exploratumque esse debuit, quid
illud foret, quod per sanctam hanc cæ-
remoniam perageretur; tamen et ex
ipsa hujus ritus gravitate, et ex ver-
borum pondere, quæ in hac episcopali
consecratione adhibet Ecclesia, adhuc
altius in animum tuum illabi potuit,
qualem quantamque receperis dignita-
tem, in quem fueris evector ordinem,
quo caractere insignitus. Magnum certe
eximiumque delatum tibi per Nos est
officium, dum te a privato sacerdo-
talis vitæ statu ad episcopalem eduxi-
mus, interque Ecclesiæ præsules primo-
resque constituimus. Sed quanto subli-
miorem te in gradum conscendisse per-
spicis, eundem putare debes non tam
honore, quam vitæ morumque sancti-
tate, Christi doctrina, sapientiaque con-
tineri.

Episcopi, qui ti-
tulum habent
in partibus in-
fidelium, non
sunt exempti
a quovis mune-
re episcopali.

§. 2. Hæc quidem tibi ante oculos
proponimus, ne exemptum te ab epi-
scopali munerum magna parte ar-
bitreris, quod institutus sis titularis epi-
scopus, seu in ejus ecclesiæ titulum,
quæ jamdudum infidelium subjecit
potestati. Cum enim illorum armis ac
dominatu ab antiquis sedibus expelle-
rentur episcopi, neque amplius in suis
diœcesibus residere quiquam eorum pos-
sent, retinere tamen deperditarum ec-
clesiarum memoriam nomenque placuit,
ut qui deinceps in titulum subroga-
bantur, una cum ipso præcipuam in
se reciperent sollicitudinem Deum pro
amissi gregis reditu deprecandi. Ne ta-
men illi aut otii, aut vagationis suspi-
cionem de se facerent, adhiberi cepti
sunt ad magnorum antistitem curam
per ministerium suum sublevandam.
Proinde nequaquam videri possunt ti-
tulares episcopi, etsi nulli propriæ ad-
dicti diœcesi, ab episcopalibus exem-
ti muneribus, iis præsertim, quæ ipsum
episcopalem ordinem consequuntur.

Laudes episco-
pi De-Bornis.

§. 3. In hujusmodi opus, in hoc
militiæ genus assumptum te, vene-
rabilis frater, a Nobis puta, dum ad
episcopalem gradum extolleris; quod
certe in animo habebat, jamque tibi,
in quo contenderes spatio, designabat,
qui te Nobis commendavit venerabilis

frater Noster Franciscus Joachimus S.R.E.
cardinalis De Bernis. Etsi tecum ipse
sanguinis propinquitate sit cojunctus,
teque filii pene loco habeat; tamen ea,
quæ Nobis de te affirmavit, tuaque
causa petiit, adeo æqua visa sunt, ut
Nos facile, quo jam Nostra sponte in-
ducebamur, impelleret. Noveramus pro-
fecto, quæ indoles tua esset, qui mo-
res, quam ad ecclesiasticam, ac sa-
cerdotalem vitam, cui jam nomen de-
deras, conformatus animus, ac para-
tus ad quodcumque te munus vocaret
Deus, suscipiendum. Itaque non solum
te in episcopali dignitate constituere,
sed et Nostras imponere tibi manus vo-
luimus, ut adhuc cumulatus constare
posset, quantopere et Nostræ, et illius
de te spei amorique tribueremus. Vo-
luimus præterea huc Nos ipsos ad s. Lu-
dovici Francorum regis ecclesiam trans-
ferre, atque in hoc Gallicæ nationis
templo consecrationem tuam peragere,
prædecessoris Nostri Benedicti XIII.
exemplum sequuti, qui in festo sancti
Josephi die anni MDCCXXVI. hac in
ecclesia cardinalem de Polignac in Auxi-
tanum archiepiscopum consecravit. Am-
plissima sane est, atque ornatissima sa-
cra hæc ædes, ac multis a Sixto IV.
privilegiis jam tum decorata, cum eo
annuente ejusdem sancti Ludovici cul-
tus hac fuit ex arcto et angusto loco
translatus, neque minori nunc magni-
ficentia ac dignitate splendet, quam quæ
olim in proxima, etsi nunc parva, ad-
mirabatur ecclesia ad thermas Alexan-
drinas erecta, antequam incendio con-
flagrasset; quæ scilicet a s. Silvestro
dedicata ssmo Salvatoris nomini, fuit
postea a sancto Gregorio Magno con-
secrata. Quibus omnibus de causis vi-
sus Nobis hic locus est ad hanc tuæ
consecrationis cæremoniam peropportu-
nus.

§. 4. Sed ut ad episcopalem tuam
Apolloniæ titulum veniamus, quem jam
decreto consistoriali tibi assignavimus,
eam ecclesiam ipse nosti infidelium do-
minatu oppressam esse; proinde ejus-
dem, si non curam, at minus certe
divinam obsecrandi clementiam pro il-
lo, qualiscumque est, grege vindican-
do, atque ad fidem revocando tibi com-
missum existima. Sed cum plurimæ va-
riæ in regionibus positæ antiquitus eo
nomine urbes essent, ab Apolliniæ ni-
mirum nuncupatæ, cui gentes aras ibi-
dem, ac templa dicaverant; opportu-
num hic videtur, quæ tua isthæc Apol-
lonia sit, exponere. Sita ipsa est in Ma-
cedonia, ad Atho montis radices, qui

Descriptio ec-
clesiæ episco-
pali Apollo-
niæ in parti-
bus infidelium

pars est montis illius, quem sanctum deinceps ob monachorum eremos, ac quamplurima in ipso condita cœnobia nominarunt. Ex iis monasteriis aliqua iusignibus adhuc instruuntur bibliothecis, sed nullo incolentium fructu, qui vitam illic non in studiis, sed in manuum opera ac labore traducunt; nihilotamen minus in suo sunt pertinacissimi schismate, quod in eorum animis multo altius insertum sæculo XIII. fuit per Gregorium Palamam Thessalonicensem archiepiscopum, quem illi propterea inter sanctos impie recensent, ac tanquam thaumaturgum publicis etiam precibus invocant, et venerantur. Apollonia ad ortum habet Amphipolim, Thessalonicam ad occasum; hujus suffraganea sedes est, in patriarchatu Romano constituta.

Judicium de ea datum a doctore gentium refertur.

§. 5. Neque tamen hic inquirendum, qui præsens illius urbis status sub infidelium imperio sit, sed præcipue considerandum, quod ejus nomen extollit maxime, illac pertransisse doctorem gentium, cum Philippis ex carcere Thessalonicam una cum Sila, seu Silvano pergeret; ut in actis apostolorum cap. 17. v. 2. in hæc verba legitur = *Cum autem perambulassent Amphipolim, et Apolloniam, venerunt Thessalonicam, ubi erat synagoga judæorum* = Igitur cum nunquam non præsens tibi tui episcopatus, tuæque ecclesiæ nomen futurum sit, quam facile una et magni illius apostoli, et epistolarum recordaberis, quas ille vel Athenis, vel potius Corintho duas ad Thessalonicenses perscripserat; proptereaque ex ea ipsa Apolloniatum cum Thessalonicensibus propinquitate, ecclesiarumque conjunctione existimare poteris ad te præcipue pertinere ea, quæ cap. 2. primæ illius epistolæ memorantur, videlicet = *Ipsi scitis fratres introitum nostrum ad vos, quia non inanis fuit, sed ante passi multa, et contumeliis affecti, sicut scitis in Philippis, fiduciam habuimus in Deo Nostro loqui ad vos evangelium Dei in multa solitudine* = Quibus quidem, aliisque sequentibus verbis b. Paulus juxta sacros interpretes significare perspicue voluit, qualis esse, qualemque se exhibere novus episcopus debeat. Primo igitur ab ingressu ad episcopatum incepit, cum diceret = *Adventus non inanis* - non sine fructu scilicet, quoniam aliqui, quod sine lacrymis efferre vix possumus, non ædificant, sed destruant. Prosequitur porro, ac indicat Paulus, quæ doctrina episcopi esse debeat = *non de errore* = qui mores = neque

de immunditia, neque in dolo = puri videlicet, simplices, ac recti = neque in sermone adulationis, nec quærentes ab hominibus gloriam = *neque a vobis, nec ab aliis, sed Deo placentes, qui probat corda nostra* = Pergit deinde, et in utraque ad Thessalonicenses epistola, multa eisdem credenda proponit, eosque in horum fide, atque in servandis traditionibus magnopere confirmat.

§. 6. Hunc in modum tu ipse, ven. frater, comparatum, atque instructum habere animum debes, tanquam si ad tuam Apolloniæ ecclesiam introires. Introibis quidem in eam, quæ tua non est, cujusque de ovibus ad te singulariter cura non pertinet; in Albiensem scilicet, cui cum adesse per se ipse non possit cardinalis consanguineus tuus, te in eandem ad subsidiariam præstandam operam consulto immittit, *non pro sua quiete, et voluptate*, ut Hincmarus exprobravit nunnulorum antistitem desidiarum, qui præsertim in Gallis redivos excitant chorepiscopos, ex illorum genere, qui consecrationem episcopalem receperant. Cardinalis enim Noster abest ab Albiensi ecclesia, ut apud Nos, ac apostolicam hanc Sedem ministerii munere fungatur a christianissimo rege jam multis ab annis sibi commisso; quo quidem ita fungitur, ut una utrique Nostrum egregie satisfiat. In hac tamen absentia sua ab episcopalis officii exercitatione non desistit in Albaniensi nimirum ecclesia, ad quam ex Albiensi translatus est, hujus tamen retenta per apostolicam concessionem administratione. Absens ille corpore, at præsens spiritu, quo magis eidem consuleret, te ipsum intimorum consiliorum, suæque solitudinis maxime conscius illuc tanquam e sinu emit tit suo, ut pro se adesse Albiensibus, et tam nominis, quam curæ atque amoris similitudine solari eum gregem de pastoris sui desiderio posses; in quo certe Paulum imitatus est, cum Timotheum ad Thessalonicenses mitteret, ad eosque scriberet = *Neminem habeo tam unanimem, qui sincera affectione pro vobis sollicitus sit* = (1. Corinth. cap. 4.)

Exponitur ratio cur in locum ecclesiæ titularis, aliam non suam Albiensem consequatur.

§. 7. Tanto igitur magis tibi, ven. frater, annitendum est, ut gravissimam hanc de te cardinalis spem, ac maximam Albiensium expectationem sustinere valeas, tantoque majorem putandum est a te operam, contentionemque exigi, quanto major est illius ecclesiæ dignitas, atque archiepiscopatus amplitudo. Quis enim ignorat et anti-

Descriptio ecclesiæ Albiensis.

quitatem Albiensis Sedis, et celebritatem? Jam si illius episcoporum seriem a priscis temporibus memoria repetemus, in eadem, et sanctissimos viros et doctissimos censi reperiemus, neque minus quam duodecim, qui in S. R. E. cardinalium collegium evecti sint, numerabimus. Ex his duo adhuc superstites sunt, alter hic præsens Gentilis tunc, alter archiepiscopus nunc Rothomagensis Dominicus Rupefucaldius, quem Nos ipsi purpuræ honore donavimus. Ibidem et episcoporum habita fuere concilia, quibus est fidei, moribus, ecclesiasticæque disciplinæ pro opportunitate consultum. Quas ob causas multi e prædecessoribus Nostris præcipuam ejus ecclesiæ se habere rationem per suas constitutiones professi sunt, ut inter cæteros Bonifacius VIII., Benedictus XII., et Innocentius XI., qui eadem ut metropolitana esset, merito sanxit, et ad archiepiscopatus jura, subjectis ipsi quinque episcopatibus, evexit. In eam igitur mitteris, venerabilis frater, in qua episcopalis militiæ tuæ rudimenta ponas, tam nobilem, tamque amplam ecclesiam, tot exornatam laudibus, tantaque præcipue cardinalis tui consanguinei cura, vigilantia, atque amore munitam.

Monitum ad electum.

§. 8. Tu ipse debes actiones omnes, quas illic gesturus es, componere ad illius voluntatem, consiliumque tibi certe perspectissimum, quo Albiensis ecclesiæ administrationem jam ab initio moderandam suscepit. Quin ex regendi Albanensis gregis, qua utitur, ratione, facile potes agnoscere, qualem se præstare in Albiensem studeat, quoque sit in eundem animo comparatus. Patet omnibus ea ratio, isque ejus animus, ut ex ipsa re atque opera, ita et ex egregia illa pastorali epistola, quam cum primum Albanensem episcopatum iniisset, ad clerum, populumque die xxx. aprilis anni MDCCLXXIV. perscripserat. In ea præcipue pax, et charitas commendatur. His tamquam cardinibus omne versatur ejus hortationis argumentum = *Propositum*, inquit, *nobis finem et scopum illico assequuti esse videbimur, si vos omnes in charitate radicatos, et fundatos, studioque accensos pacis conservandæ sempiternæ statim intueri, atque experiri licebit. Hæc enim duo illa sunt præcipua Christianæ institutionis capita, ex quibus pastoralis officii Nostri, ac paternæ erga vos sollicitudinis auspicia desumimus, quæque vobis modo proponentes, cniæque commendantes, mentibus, animisque vestris*

perpetuo cupimus inhærere, charitatem scilicet et pacem = Multa deinde pergit de utraque hac virtute præclara sane, atque ex ipso evangelii fonte deducta dicere. Sed quod tum ille tanta monendi hortandique auctoritate aliis suadere voluit; id sibi statim suscepit, multoque efficacius mutam in omnes charitatem, et pacem eximio præsertim suæ beneficentiæ exemplo commendavit.

§. 9. Habes jam, venerabilis frater, quo cogitationes, consilia, operaque tua dirigi, et contendere debeant, valdeque a te petimus, ne quid eorum, quæ in episcopali munere esse memoravimus, unquam non ante oculos posita habeas, assidueque memoria tua repetas, ac revolvas; ut id ipsum in te effici possit, quod b. Paulus in Thessalonicensibus fieri cupiebat, cum primam ad eos epistolam hisce verbis concluderet = *Adjuro vos per Dominum, ut legatur epistola hæc omnibus sanctis fratribus* = *Timebat enim, ut inquit doctor angelicus, ne prælati propter aliqua, quæ erant hic, eam occultarent*. Fac igitur, ne unquam monitus hos, hortatusque Nostros e tua mente dilabi sinas, tibi que ipsi quodammodo occultes; sed quod magnopere futurum confidimus, mores, vitamque tuam omnem imposterum ad tanti ministerii rationem instituas, et componas, atque ad descriptam ab apostolo Paulo episcopatus formam exprimas, Nostrumque, qui veræ tuæ laudis studiosissimi sumus, et tui amantissimi, de teque benemerentissimi cardinalis votis præclare respondens, ad divinam gloriam, quæ Ecclesiæ utilitate, animarumque salute præcipue continetur, omni semper tui animi conatu, tuæque opera, labore, ac viribus promovendam, diffundendam, amplificandam magis in dies inflammaveris.

Exemplum apostoli gentium sequendum proponitur.

Gratia Domini Nostri Jesu Christi cum Spiritu tuo. Amen.



Dat. die
2. Januarii
1782
Anno VII

CCCXLIX.

Applicantur ad quindecim annos fructus
abbatiæ s. Stephani in diocesi Vercel-
lensi existentis pro construendis navi-
bus contra Turcarum incursus.

Charissimo in Christo filio Nostro
Victorio Amadeo
Sardiniaë regi illustri.

Pius PP. VI.

Charissime in Christo
filii Noster salutem,
et apostolicam benedictionem.

Expositio præ-
cum porrecta-
rum a rege Sar-
dinia.

§. 1. **M**ajestatis tuæ nomine No-
bis nuper expositum fuit, quod pira-
ticarum navium Turcarum, seu Mau-
rorum adeo auctus est numerus, ut li-
tora tum regni Sardiniaë, tum maris
Mediterranei infecta eorum atrociniis
habeantur, maritimi commeatus impe-
diti, publicumque interclusum com-
mercium non sine maximo populorum
tibi subditorum detrimento, quibus sæ-
pe contingit, ut sub eorum oculis fi-
lii, parentes, cognati, amici, cum na-
vibus, mercibus, ac substantiis suis a
barbaris illis in miseram, ac duram
servitutem abducantur: quare acerbis-
simis hisce celerrime opportuna
afferre remedia, et populis in tam gra-
vi calamitate constitutis opem tuam,
et validum auxilium implorantibus,
quamprimum subvenire ardentissime
cupis; verum quia regiaë militares na-
ves hactenus constructæ ad protegenda
litora hujusmodi sufficientes non sunt,
regiamque classem tuam veluti etiam
magnus magister militaris ordinis san-
ctorum Mauritii, et Lazari ampliare
intendis, ac regium ærarium tuum no-
vos sumptus pro fabricandis aliis na-
vibus, eisque armandis, atque instru-
endis ad succurrendum miseris populis,
et ad liberanda a barbarorum injuriis,
cædibus, et atrociniis, naves, homi-
nes, ad litora tui dominiï sustinere im-
par sit fructus, et redditus monasterii
abbatiæ sancti Stephani nuncupatæ ordi-
nis sancti Benedicti, ad quam nomi-
nare, quoties vacans existit in vim con-
cordatorum alias inter Sabaudiaë du-
ces, et Pedemontis principes, et sanctam
Sedem initorum ad te spectat in
diocesi Vercellensi existentis, quæ va-
cat ad præsens, insumere desideres, si
Nostra, et hujus sanctæ Sedis tibi su-
per hoc licentia, et facultas suffrage-

tur. Quapropter ejusdem majestatis tuæ
nomine fuit Nobis humiliter supplica-
tum, ut tibi, et communi christiano-
rum tui, ac aliorum regnorum, et sta-
tuum saluti, et incolumitati opportu-
ne in præmissis providere, et ut in-
fra indulgere de benignitate apostolica
dignaremur.

§. 2. Nos igitur piis votis tuis fa-
vorabiliter annuere, et laudabiles, Deo-
que maxime gratos, et catholici regis
animo dignos majestatis tuæ conatus
in arcendis a christianorum cervicibus
impiorum gladiis, et in tuendis tuis
terris, litoribus, et hominibus contra
sceleratorum prædonum incursus, cæ-
des, et infamia atrociniis, quantum in
Domino possumus adjuvare volentes,
supplicationibus hujusmodi inclinati,
motu etiam proprio, ex certa scientia,
et matura deliberatione Nostris, de-
que plenitudine potestatis majestati tuæ,
ut per quindecim dumtaxat a data
præsentium enumerandos annos, fru-
ctus, redditus, proventus, obvencio-
nes, et emolumenta quæcumque cu-
juscunque generis, et conditionis præ-
dicti monasterii abbatiæ sancti Step-
hani nuncupatæ ordinis sancti Benedicti in
construendas militares naves, easque
armis, et hominibus, omnique bellico
apparatu instruendas ad propellendos
Turcarum latronum impetus ad mare
Mediterraneum ab hac sceleratorum pe-
ste, et colluvie purgandum ad tui sta-
tus, litora, terras, naves, atque homi-
nes a barbarorum cædibus et depreda-
tionibus, atque incursibus protegenda
impendere libere, ac licite possis, et
vales harum serie concedimus, et im-
pertimur. Quocirca dilecto filio æcono-
mo generali beneficiorum pro tempo-
re existenti auctoritate apostolica depu-
tato per præsentis injungimus, ac man-
damus, ut adimpletis prius, et satis-
factis omnibus missarum reparationum
obligationibus, solutionibus, oblationi-
bus, mercedibus, salariis, aliisque qui-
buscumque supportatis oneribus solitis,
et consuetis, quæ dicto monasterio,
seu abbatiæ, ac ejus rectoribus pro tem-
pore imposita, et infixæ sunt, nec non
aliqua annuorum fructuum, et reddi-
tuum parte in miserabilium persona-
rum subventionem, et pauperum illa-
rum partium auxilium, pro majestatis
tuæ pietate, et beneficentia singulis an-
nis impensa, reliquam fructuum, red-
dituum, et proventuum monasterii,
seu abbatiæ prædictæ partem, dum
illud, seu illa vacaverit, tibi respon-
deat, ac responderi faciat, et curet.

Tenor conces-
sionis.

Declarationes
speciales.

§. 3. Volumus insuper, eidemque æconom generali pariter tenore præsentium concedimus, ut quoties alterum ex duobus beneficiis, quorum unum sub invocatione sancti Joannis Baptistæ in ecclesia parochiali sanctæ Mariæ Majoris civitatis Vercellarum, alterum vero sub invocatione sancti Laurentii in sua ecclesia in loco de Pezzana nuncupato, erecta existunt, quæque ut asseritur, sunt de jure patronatus dicti monasterii, seu abbatiæ, vacare contingat, iisdem modo, et forma, quo lectores ejusdem abbatiæ usque in præsens consuevere, ad ea nominare rectorem possit, et debeat; tandem nedum malis ex Turcarum præsidio ingruentibus opportunum remedium afferre studemus spiritualem Christifidelium utilitatem despiciere videamur, venerabili fratri episcopo Vercellensi committimus, ut quousque eadem abbatia, seu monasterium vacaverit, salvis omnibus, et singulis juribus, prærogativis, gratiis, et indultis, quæ rectoribus ejusdem monasterii, seu abbatiæ pro tempore existentibus quomodolibet pertinere possunt, vel poterunt; quibus per præsentem derogare non intendimus omnimodam spiritualem jurisdictionem in terris ad monasterium, seu abbatiam prædictam spectantibus exerceat, ac duas parochiales de Prarolo nempe, et de Crova nuncupatæ; quæ ut pariter asseritur, de jure patronatus dicti monasterii, seu abbatiæ existunt juxta formam concilii Tridentini, et ad Nostras cancellariæ apostolicæ regulas conferat.

Derogatio contra
triorum.

§. 4. Non obstantibus quibusvis apostolicis, nec non in provincialibus, et synodalibus conciliis aeditis generalibus, vel specialibus constitutionibus, nec non cancellariæ apostolicæ regulis, aliisque quibuscumque ordinationibus, statutis, et consuetudinibus confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effe-

ctum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod pecuniæ, quas ex præsentem Nostra concessione majestas tua percipiet, vel percipi faciet, in eos dumtaxat usus pro quibus a Nobis in Domino concessæ sunt, et nunquam in alios quoscumque convertantur, super quo ejusdem majestatis tuæ, tuorumque ministrorum conscientiam oneramus. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die octava januarii anno millesimo septingentesimo octuagesimo secundo pontificatus Nostri anno septimo.

CCCL.

Dat. die
11 januarii
1782
Anno VII.

Suppressio monasterii canonicorum regularium congregationis Lateranensis ordinis s. Augustini Novariæ existentis, et applicatio honorum pro constructione navium contra Turcas.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **Q**uanto Nobis catholicæ curæ sit fidei, et qua sollicitudine, in quantum Dominus Noster Jesus Christus, qui ex alto vocavit Nos licet immerito ad apostolicæ servitutis munus adjuvat, debeamus præcavere, ne unquam ab imperitis, ac impiis, vel a paganorum superstitione veritatis evangelio resistatur, quoties Nobis oblata est occasio, evidentissimis probavimus documentis.

Proemium.

§. 2. Gravia sane sunt, et non parvo moerore lugenda, quæ ex aucto Turcarum, aliarumque barbararum nationum crucis Christi inimicarum numero in litora tum insulæ Sardinia, tum etiam maris Mediterranei perpetrantur, ac ideo non solum publicum commercium interclusum, ac maritimi comæatus impediti existunt, sed, quod non sine intimo cordis Nostri dolore recordamur, plures Christifideles navibus, mercibus, ac substantiis suis a barbaris illis spoliati cum gravi animarum suarum salutis periculo in miseram, ac duram servitutem abducuntur: quæ quidem cum ardentem, justumque zelum pietatis carissimi in Christo filii Nostri Victorii Amadei Sardinia regis illustris,

Memorantur inacomoda, quæ ab aucto Turcarum numero usu veniunt in liore maris Mediterranei, et laudantur providentiæ ad rem excogitatæ a rege Sardinia.

suamque charitatem, qua suos subditos prosequitur, incitaverint, ut omni conatu piratarum hujusmodi ausibus obisteret, ac alias naves veluti etiam ordinis militaris sanctorum Mauritii, et Lazari magnus magister, ad tuendas ædem substantias, sed etiam suorum subditorum personas parare constitueret; regium vero ærarium ob gravissimas impensas, quas in propugnandis litoribus prædictis usque in præsens suscipere debuit, impar sit, novos sumptus sustinere. Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur, ut gloriosi pietatis memorati Victorii Amadei regis illustris in fidei, et suorum subditorum substantiarum defensione propositi perfectio subsequatur, suis votis annuere volentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; cum sicut nomine ejusdem Victorii Amadei regis illustris Nobis nuper expositum fuit, inter novem canonicorum regularium congregationis Lateranensis ordinis sancti Augustini ædes, seu monasteria in ejusdem Victorii Amadei regis erecta familia Novariensis monasterii canonicorum ordinis prædicti in sex dumtaxat sacerdotes, in dilectos nempe filios Ambrosium Caccia abbatem perpetuum de regimine, Josephum Vespolti abbatem titularem, Josephum Ponzani procuratorem, et œconomum, Henricum Barbavera, Franciscum Morini, et Silvium Castellani præter Hieronymum Gatticum, et Aloisium Morbio, qui licet dicto monasterio adscripti, seu affiliati, in eo tamen habitare jugiter reluctarunt, consistat, adeo ut duos presbyteros sæculares, qui choro inservirent, auxilio vocare coacti fuerint; cum insuper monasterium, seu ædes canonicalis hujusmodi satis pingui censu usque ad septem millium scutorum monetæ Romanæ summam circiter ascendenti sit dotata, qui quidem redditus necessariam quantitatem ad congrua dictæ familiæ alimenta præstanda nimis ultro excedunt, hinc hisce omnibus seria, et matura deliberatione pensatis, illud opportunum remedium futurum fore cognovimus, si prævia ejusdem ædis canonicalis, seu monasterii suppressione, suos redditus, sicut memoratus Victorius Amadeus rex postulat, ad sceleratorum prædonum incursus cohibendos concederemus.

§. 4. Motu itaque proprio, et ex certa scientia Nostra, ac de apostolicæ

potestatis plenitudine ædem, seu monasterium prædictum canonicorum regularium congregationis Lateranensis ordinis sancti Augustini in civitate Novariæ existens harum serie perpetuo suppressimus, ac extinguimus, ac perpetuo suppressum, et extinctum esse decernimus, ac declaramus: monasterii vero prædicti ædes una cum annexa ecclesia, ac suos fructus, redditus, proventus, ac bona omnia immobilia, mobilia, ac semoventia hactenus ad dictum monasterium, seu ædem canonicalem spectantia, deductis prius oneribus, de quibus infra, ad construendas militares naves, easque armis, et hominibus, omnique bellico apparatu instruendas; motu, scientia, et auctoritate prædictis pariter perpetuo prædicti Victorii Amadei regis dispositioni, ac arbitrio largimur, ac concedimus; omnes vero, et singulos presbyteros dicti monasterii hactenus alumnos, quique in eo sunt adscripti, ac affiliati, nisi regularis vitæ amore incensi ad aliam ædem, seu monasterium congregationis, et ordinis prædictorum transire maluerint, ad statum presbyteri sæcularis, ac sub omnimoda jurisdictione ordinarii loci, ubi pro tempore eos degere contigerit, ac ad militarem ordinem sanctorum Mauritii, et Lazari transferimus, ut posthac omnes, et singuli usque modo congregationis, et ordinis prædictorum professores tamquam equites militaris ordinis prædicti habeantur, ac insignia, et habitum ordinis militaris hujusmodi publice deferant, quibus tamen expresse præcipimus, ut ipsi in ecclesiis, ac hospitalibus militaris ordinis prædicti divino cultui deservire, omnemque personalem assistentiam, quoad vixerint, exhibere, et præstare teneantur. Ad præscribenda porro onera, quæ post suppressionem, et unionem prædictam erunt subeunda animam Nostrum convertentes cum de summa ejusdem Victorii Amadei regis pietate plurimum in Domino confidimus, in primis quantitatem annuæ pensionis memoratis congregationis, et ordinis prædictorum professoribus præfiniendam in ipsius arbitrium tribuimus, sicuti pariter illius religioni, ac sollicitudini in Domino commendamus, ut in ecclesia dicto monasterio, seu ædi canonicali annexa divinum cultum servari, ac pia legata, ac fundationes adimpleri studeat, et curet. Ac demum eidem Victorio Amadeo regi, ejusque futuris successoribus unum, vel duos, prout, et quando ei libuerit, ex primoribus mi-

Preces porrectis pro suppressione monasterii, et applicatione bonorum pro constructione navium.

Tenor concessionis.

litibus militiæ prædictæ in moderatores prædictorum bonorum, ac reddituum administrationi præsiat, eligendi, ac deputandi plenam, et amplam facultatem, motu, scientia, et auctoritate prædictis tribuimus, et impertimur.

Deputatio ex-
cutoris aposto-
lici.

§. 5. Quocirca venerabili fratri Marco Aurelio episcopo Novariensi harum serie committimus, ut ipse tamquam a Nobis, et apostolica Sede specialiter delegatus has præsentis solempniter publicans, eundem Victoriom Amadeum regem, ac pro eo legitimum suum procuratorem in veram, realem, et actualem possessionem dictæ ædis canonicalis; seu monasterii canonicorum regularium congregationis Lateranensis ordinis sancti Augustini, ecclesiæ ei adnexæ, et bonorum quorumcumque juxta præsentium serie immittat, eique in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate Nostra easdem præsentis literas, et in eis contenta quæcumque ab omnibus, ad quos spectat, inviolabiliter observari; contradictores quoslibet cujuscumque status, ordinis, vel præemiaentiæ fuerint, per sententias, censuras, et pœnas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione posposita, compescendi. Volumus autem, quod redditus, et fructus bonorum hujusmodi in conservationem tantum, ac incrementum regiæ classis, et non in alios usus convertantur.

Clausula subla-
ta, et decre-
tum irritans.

§. 6. Decernentes has præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-
trartorum.

§. 7. Non obstantibus quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac aliis Nostris, et

cancellariæ apostolicæ regulis, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegijs quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatorijs, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, ac individua, non autem per clausula generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die undecima januarii MDCCLXXXII. pontificatus Nostri anno septimo.



Dat. die
x5 januarii
1782
Anno VII.

CCCLI.

Commissio episcopo Coimbricensi transferendi quatuor moniales monasterii de Louricar ad monasterium in civitate Ulyssiponensi noviter erectum.

Venerabili fratri Francisco episcopo Coimbricensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

Expositio præ-
cum.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit dilectissima in Christo filia Nostra Marianna Portugalliæ infans quod cum alias in anteacto nempe sæculo in civitate Ulyssiponensi sacrilegum furtum non sine gravi sanctissimi eucharistiæ sacramenti contemptu fuerit perpetratum, hinc quasi in admissi criminis satisfactionem in loco de Louricar hujus tuæ diocesis Coimbricensis novum fuit e fundamentis erectum monasterium sanctimonialium ordinis sanctæ Claræ strictioris observantiæ, ut ipsæ præter cætera statuta, ac stabilimenta apostolica auctoritate tunc confirmata, die, noctuque vicissim sanctissimi eucharistiæ sacramenti adorationi insistere jngiter tenerentur.

Ratio concessio-
nis.

§. 2. Cum autem sicut eadem exposito subjungebat, novissimis quidem temporibus ex munificentia ejusdem Mariannæ infantis in eo ipsomet loco ubi delictum prædictum fuit commissum novum erigatur monasterium, hinc a prædicto monasterio de Louricar dilectas in Christo filias Mariam de Jesu, Mariam de Nostra domina, Mariam Candidam, et Mariam de sacra familia, moniales expresse professas dicti monasterii ad hoc novum monasterium in civitate Ulyssiponensi erectum, seu erigendum una cum iisdem statutis, ac legibus alias, ut præfertur, apostolica auctoritate confirmatis transferri summopere desiderat; nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Concessio-
tenor.


§. 3. Nos igitur, piis memoratæ Mariannæ infantis votis, quantum cum Domino possumus annuere volentes, ac supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuæ, de cujus prudentia, fide, ac religionis zelo, plurimum in Domino con-

Bull. Rom. Tom. VI.

fidimus, per præsentis committimus, ac mandamus, ut prædictas quatuor sanctimonialiales, vel quatenus una, aut altera ex ipsis impeditæ legitime fuissent, alias moniales ejusdem monasterii in locum impeditarum suffectas ad prædictum monasterium in civitate Ulyssiponensi erectum, vel erigendum ad effectum inibi novam fundationem faciendi sub iisdem tamen legibus, ac statutis monasterii de Louricar prædicti honesto comitatu quem sanctimonialiales decet, debitisque cathelis auctoritate Nostra apostolica transferas.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, et quatenus opus sit monasterii, et ordinis prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et alijs decretis in genere, vel in specie, ac alijs in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta januarii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio con-
trariorum.



CCCLII.

Dat. die
15 Januarii
1782
Anno VII.

**Imminutio festorum in principatu Essen-
dendi.**

Venerabili fratri Karolo archiepiscopo
ad Tractum Rheni ad partes inferiores
Germanicæ Nostro, et apostolicæ
Sedis nuncio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem

Proemium

§. 1. **P**aternæ charitati, qua Christifideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut eorum temporalium etiam commodorum rationem habeamus, quibus præsertim illi ad spiritualia consecranda fieri promptiores, alacrioresque possint; utraque enim ita componi, et constitui debent, ut altera abesse alteris nequeant, sed mutua inter se temperatione, quoad fieri poterit, maxime provehantur; quapropter si præcipue ad divinum cultum, animarumque salutem Nostra apostolici ministerij sollicitudo conversa sit, tamen ex interdum minime neglecta temporalium rerum opportunitate, non solum impedimenta, si quæ sint, averti, sed et multo potiora ad eum finem adjumenta comparari posse cognoscimus.

Memorantur
exempla præ-
decessorum
pontificum.

§. 2. His inductum rationibus felicis recordationis Benedictum pp. XIV. prædecessorem Nostrum fuisse scimus, qui nonnullorum catholicorum principum, et ordinariorum sibi porrectis precibus annuendo indulgit, ut fideles populi plurimum civitatum, et diæcesum, quibusdam festivis diebus, servato in eorumdem festorum vigiliis, in quibus præceptum erat, jejuniis, ac audita tantum in eisdem festis missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus vacare possent.

Expositio præ-
cum porrecta-
rum.

§. 3. Cum autem dilecta in Christo filia nobilis mulier Maria Cunequnda ex ducibus Saxonie abbatissa, et princeps Essendiensis, ad principatum hujusmodi indultum prædictum per Nos ampliari, immo ad avertenda incommoda, quæ ex obligatione jejunandi in vigiliis, et audiendi sacrum in festis, ut præfertur, servata sæpe evenisse deprehensum est, ut eosdem Christifideles etiam a præcepto jejunandi, et audiendi missam iis diebus, quibus, ope-

ri vacare permittitur, solutos esse apostolica Nostra auctoritate velimus, summo opere desideret.

§. 4. Nos igitur ejusdem votis, quantum in Domino possumus, obsequendum, et populorum conscientie consulendum esse judicantes, fraternitati tuæ committimus, et mandamus, ut in principatu prædicto hanc Christifidelibus omnibus de diebus festis legem, in quam maturo consilio, et expensis omnibus descendimus, auctoritate apostolica denunciemus, et edicamus. Retineantur nempe, ac celebrentur festivi dies Resurrectionis cum sequenti, et Pentecostes item cum sequenti, aliique per annum dies dominici, nec non nati-
vitatibus Domini Nostri Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, et Corporis Christi, tum quinque dicati B. M. V., scilicet Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis: præterea retineantur festa sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, omnium sanctorum, sancti Stephani protomartyris, et unius tantum principalioris patroni.

Tenor concessio-
nis.

§. 5. Sed si alicubi plures patronos æque principales haberi contigerit, diligenter inquiras, necesse est, venerabilis frater, quoniam ex dictis principalioribus patronis potiorum cultum, et venerationem in ea vel civitate, vel oppido vel pago habeat, et in ejus tantum propria die festivitatis præceptum designes. In his igitur omnibus festis diebus pro veteri Ecclesie catholice instituto Christifideles sacris adesse, et a servilibus operibus abstinere, et jejunium in eorumdem vigiliis, quibus aduxum sit, observare debeant, et teneantur. In reliquis vero festis non solum laboriosas artium exercitationes, et servilia opera permittimus, et indulgemus; sed insuper eosdem Christifideles a quocumque vigiliæ, seu jejunii diebus præcedentibus, dummodo aliunde, vel ratione quadragesimæ, vel ratione quatuor temporum, non præcipiatur, et audiendi missam in prædictis festis obligatione absolvimus, et liberamus.

Conditiones
servandæ.

§. 6. Sed quoniam dum populorum conscientie consulimus, et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt, indigentie providemus, sanctorum venerationem, et salutarem Christifidelium penitentiam minuere non intendimus, ideo sanctorum, et solemnitatum officia, et missas, tam in eisdem abrogatis festis, quam in eorum vigiliis retineri; et sicut prius in quacumque ec-

Reservations
speciales.

clesia celebrari mandamus; sacrum vero jejunium, quod in prædictis vigiliis habebatur, ad dies sabathi immediate præcedentes, et qualenus dies sabathi hujusmodi sit unus ex abrogatis festis, vel dies festus hujusmodi cadat in feria quiota quadragesimæ, aut feria quinta quatuor temporum tunc ad diem immediate præcedentem transferendum, ibidemque servandum edicimus, et constituimus. Ut autem non solum clerici, et divites omnes sæculares, qui etiam diebus non festivis sacrosancto missæ sacrificio, et divinis officiis, quod vehementer cupimus adesse possunt, sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus ecclesias diebus tantum festis adeunt, sanctorum apostolorum, et martyrum, quorum solemnitates superius abrogavimus, memoriam servant, et venerentur, volumus, ac præcipimus, ut die xxix. junii ultra præcipuam sanctorum Petri, et Pauli apostolorum solemnitatem etiam aliorum apostolorum, et die xxvi. decembris ultra præcipuum sancti Stephani festum etiam aliorum sanctorum martyrum memoria celebretur. Quare die xxix. junii in kalendariis ecclesiasticis ita festum scribendum erit. = sanctorum Petri, et Pauli, et commemoratio omnium apostolorum = ac tam in officio, quam in missa addatur = commemoratio de communi apostolorum = die vero xxvi. decembris ita notetur = festum sancti Stephani protomartyris, et commemoratio omnium sanctorum martyrum = ac tam in officio, quam in missa addenda erit = commemoratio de communi plurimorum martyrum. Hæc Nos venerabilis frater non minus spiritualem, quam temporalem prædicti populi utilitatem intuentes sancienda esse judicavimus, in quo plurimum sollicitudini, ac vigilantie tuæ confidimus, qui illud profecto sedulitate, studioque tuo efficies, ne quid e divino cultu detractum videri possit, sed quo minor festorum dierum factus est numerus, eo major sit in popolorum animis pietas, fervor, ac devotio.

§. 7. Proinde vehementer cupimus, ac in Domino fraternitatem tuam hortamur, ut populos hosce edocendos diligenter cures, quæ ad justam, legitimamque dierum festorum celebrationem pertinent, quo ardore, quave humilitate spiritus adstare sanctissimo altaris sacrificio, quo studio, qua frequentia divinis officiis, sacris concionibus, ac christianæ doctrinæ institutionibus interesse debeant, et ne per eos dies

Christifidelium corda graventur crapula, et ebrietate, ac sæcularibus cogitationibus, quam diligentissimam operam dare debebis, ut prophana quæque, ludrica, et minus religiosa a publicis locis amoveantur, contra vero in conspectu sint illa, abundeque suppetant, quæ ad fovendam devotionem, pietatemque plurimum prodesse possint. Quæ quidem cuncta a perspecta sedulitate tua Nobis maxime pollicemur.

§. 8. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta januarii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio contrariorum,

CCCLIII.

Dat. die
15 januarii
1782
Anno VII.

Monachis s. Pauli primi eremitæ congregationis Lusitanæ communicantur privilegia omnia spiritualia tantum, quæ congregationi nuncupatæ Montis Ossæ in regno Portugallix reperiuntur concessa.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **C**reditæ Nobis divinitus dispensationis ratio exigit, ut paternam religiosorum virorum Altissimo obsequiis sub laudabili vitæ monasticæ instituto mancipatorum, uberesque honorum operum fructus adspirante superni favoris auxilio proferre jugiter satagentiam curam gerentes, felicioribus eorum in via Domini progressibus quantum Nobis ex alto conceditur providere studeamus.

Proemium

§. 2. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii fratres ordinis sancti Pauli primi eremitæ congregationis Lusitanæ, quod cum nuper per Nostras litteras in simili forma Brevis die xvi. novembris anni MDCCCLXXXI. mox præteriti expeditas, statuta, ac constitutiones ordinis, et congregationis prædictorum confirmaverimus, privilegia spiritualia, quæ alias religiosis antiquioris congregationis nuncupatæ Montis Ossæ

Expositio præcui.

in regno Portugalliæ, ab hac sancta Sede concessa sunt, communicari plurimum desiderant.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos igitur eorundem exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdici, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ordini, et congregationi prædictis sancti Pauli primi eremitæ, ejusque monachis, ut omnibus privilegiis spiritualibus dumtaxat, quæ dictæ congregationi nuncupatæ Montis Ossæ in regno Portugalliæ existenti reperiuntur concessa, pariformiter uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, ac valeant auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus.

Clausula subblata, et decretum irritans.

§. 4. Decernentes easdem præsentem litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus Nostra, et cancellariæ apostolicæ regula de indulgentiis ad instar non concedendis, aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta januarii, millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCLIV.

Dot. die
24 januarii
1782
Anno VII.

Confirmatio nonnullorum statutorum confraternitatis Aurigarum urbis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Ad postorale fastigium meritis licet imparibus erecti illa, quæ pro felici, prosperoque confraternitatum almæ Nostræ urbis regimine constituta, atque ordinata esse noscuntur, ut firma, atque inviolata persistent, apostolici muniminis præsidio cum id a Nobis petitur libenter constabilimus.

Prosumium

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii decanus, et guardiani confraternitatis Aurigarum urbis, quod, ut majori ejusdem confraternitatis commodo consulatur, ordinationes, et statuta ferre curarunt, tenoris, qui sequitur = Notificazione = Noi decano, e guardiani della ven. confraternita de' Cocchieri di Roma, sotto l'invocazione di Maria santissima regina degli Angeli, di s. Lucia, di s. Francesco, e glorioso s. Antonio Abbate a nome della congregazione segreta, e generale tenuta nel nostro oratorio il dì 1. aprile 1758 come chiaramente risulta dal decreto di risoluzione sotto il medesimo giorno registrato dal nostro segretario nel libro delle congregazioni, al quale si abbia sempre relazione. Notifichiamo colla presente a tutti i nostri carissimi fratelli, qualmente in detta congregazione fu risoluto sì per accrescimento delle opere di misericordia spirituali, e corporali, come anche per eccitare generalmente l'animo dei fratelli ad una perseverante divozione, ed amore alla nostra confraternita, ed in fine per animarli alla solita puntuale elemosina delli paoli sei l'anno, da contribuirsi in una, o più volte conforme ai medesimi riuscirà comodo dentro l'anno, con espressa condizione, che terminato sia l'anno, e che chi sia de' fratelli non abbia soddisfatto la detta elemosina di paoli sei, intende la detta congregazione generale, che detto fratello resti escluso sì dalli roversi, che dal mortorio in vigore delli decreti della nostra congregazione generale, godendo però gli altri benefici sì spirituali, che corporali, come in appresso si descrivono a tenore delli nostri statuti. Li beni sì spirituali, che corporali consistono, cioè nelle numerose indulgenze concesse da' sommi

Expositio præcum porrectarum.

pontefici con loro speciali Brevi, delle quali se n'è formato sommario, e sarà distribuito ad ognuno dei fratelli colla presente notificazione. Pertanto si esortano tutti li fratelli ad intervenire, ed assistere il mercoledì di ogni settimana all' esposizione del sssmo Sacramento nella nostra ven. chiesa sì per guadagnare un sì tanto bene per maggior vantaggio della loro anima, come ancora per maggior decoro della nostra confraternita, il tutto a maggior gloria di Dio, e di Maria santissima. Facciamo noto ancora a tutti li fratelli, che saranno partecipi del bene della messa quotidiana, che nella nostra chiesa si celebra per suffragio delle anime dei medesimi fratelli, e sorelle passate da questa all'altra vita: Quelli fratelli, che per qualunque (che Dio non voglia) disgrazia di malattia potesse succedergli saranno visitati dai fratelli infermieri, quali, quando avranno riconosciuta la fede del medico, gli daranno la solita elemosina di giuli tre, ed alli fratelli ufficiali di bajocchi quarantacinque. In tutti gli anni per la festa della Purificazione della Madonna sarà loro dispensata una competente candela benedetta; e talvolta maggiore secondo il loro uffizio, che a' medesimi potesse essere conferito; intendendo però, che la candela non si distribuirà ai fratelli arretrati, e ciò per non dar aggravio alla nostra confraternita. Di più quando qualunque che per lo spazio di anni venti sarà stato fratello della nostra confraternita, ed avrà puntualmente pagato la solita elemosina di paoli sei l'anno si rendesse inabile a procacciarsi il vitto, o per l'avanzata età, o per qualche altra causa d'inabilità, la medesima confraternita l'assolve dall'elemosina suddetta, e gli concede sua vita naturale durante un assegnamento di paoli quindici il mese per suo sollievo. Nella morte di ciaschedun fratello, il quale sia stato puntuale al pagamento dell'elemosina, e non sia arretrato per un anno, (ciò dovrà riconoscersi dal nostro proveditore de' morti pro tempore) ricevuto l'avviso dagli eredi del defonto con rincontrare gli ultimi pagamenti, ed andare dall'esattore per combinarli, e riconoscendo che detto fratello non sia arretrato, ovvero rimanendo indietro di qualche benchè minima somma per il compimento dell'anno, se dagli eredi subito sarà pagato ciò, che dovrà, e sarà debitore, e questo, acciocchè la nostra venerabile confraternita resti appieno soddisfatta, allora la stessa ve-

nerabile confraternita, anderà ad associare il cadavere del medesimo, ma non in caso contrario a tenore del decreto sotto detto giorno 1 aprile 1758, colle seguenti condizioni cioè. Anderà la nostra confraternita ad associare il cadavere del fratello, e porterà quattro torce di peso libbre tre per arderle nel tempo della associazione. Dispenserà le candele alli fratelli col sacco, ed al proprio cappellano, e mandatario, con dare a questi di più il viatico, ed intimo. Farà accompagnare il cadavere alla parrocchia con cinque presi con cotta compresi il curato a' quali darà la candela, e l'accompagnatura di bajocchi dieci per cadauno de' preti, ed al parroco il solito mazzetto, e bajocchi venti per l'accompagnatura. Darà al chierico la candela, e bajocchi dieci per il porto della croce. Farà fare a proprie spese la cassa dal falegname della confraternita per seppellirlo. Pagherà al parroco il *jus seppeliendi* di scudo uno, e bajocchi cinquanta, ed al beccamorto l'emolumento di bajocchi sessanta per la sotterratura: darà bajocchi trenta per l'ufficio da recitarsi dal parroco, e sacerdote compagno sopra il cadavere, come anche bajocchi venti per la messa parrocchiale. Succedendo poi, che qualunque dei nostri fratelli non volesse, e non potesse esser associato dalla nostra confraternita per qualsivisia causa, o morisse fuori di Roma, o in qualche ospedale o altro luogo, che non potesse intervenire la nostra confraternita; in tutti, e tali casi essendo stati prima rincontrati li pagamenti, come si è detto di sopra, si faranno celebrare numero cinquanta messe basse, ed una cantata di requie nella nostra chiesa in suffragio della di lui anima coll'assistenza dei fratelli a' quali si dispenserà la solita candela. In un giorno dell'ottavario de' morti d'ogni anno farà la nostra confraternita celebrare numero cinquanta messe, ed una cantata di requie coll'assistenza de' fratelli a' quali si dispenserà la candela, e nella sera dell'istesso giorno si canterà nel nostro oratorio l'ufficio de' morti il tutto in suffragio dell'anime de' nostri fratelli, e sorelle defonti. E perchè per il conservamento, ed adempimento delle suddette opere tanto spirituali, che corporali è necessaria non poca somma di danaro, si esortano colla presente notificazione tutti i fratelli, ed esser puntuali in contribuire la suddetta elemosina di bajocchi sessanta annui facendo anche intendere a tutti, che la nostra

congregazione si segreta, che generale per decreto in detto giorno del primo aprile 1758 ha stabilito, che non si ammetteranno per fratelli quei tali, che avranno compiti l'età di anni trentacinque, e quando abbiano compito la detta età se desiderano di esser ammessi per fratelli della nostra confraternita, dovranno preventivamente con fede del di loro battesimo provare l'età, ovvero riconosciuto, e giudicato dagli ufficiali superiori pagare quel tanto, che superior la detta età prefissa: allora saranno ammessi, e goderanno tutti li beni sì spirituali, che corporali, essendo però cocchieri, e riconosciuti dai fratelli maestri de' novizi per persone di buona vita, come comandano li nostri statuti. E se qualcuno trascurasse per lo spazio di un anno nel contribuire l'elemosina suddetta di paoli sei l'anno sarà escluso dall'opere corporali come sopra, e in conformità dei decreti; perciò li superiori, ed uffiziali oltre il carico di sua coscienza, non dovranno aggraziare veruno, né prendersi arbitrio, altrimenti saranno obbligati sotto la pena di rifare alla nostra confraternita tutti quei danni, che per loro causa avesse, o potesse soffrire, e ciò per non recare pregiudizio di dispendio alla nostra confraternita, ed alli fratelli, che puntualmente avranno soddisfatto a' loro obblighi, ed all'adempimento, e piena osservanza colla presente notificazione, e suo decreto saranno obbligati tutti i fratelli superiori, ufficiali, ed altri. Stante detti riflessi si spera da tutto il corpo della nostra confraternita, che ogni fratello darà, e farà dare esecuzione a quanto si dice di sopra; e seguirà maggiormente ad essere puntuale della elemosina per dimostrarsi vieppiù amante della nostra efficacissima protettrice Maria santissima degli Angeli, ed altri santi nostri protettori per vantaggio delle anime nostre, per nostro sollievo, e per dimostrare nell'atto stesso la sua buona volontà, ed il suo amore verso il prossimo, e fratelli inabili, e defonti per poter poi, riflettendo al futuro, riavere anch'egli quel bene, che agli altri avrà fatto. Dalla nostra congregazione il dì primo aprile 1758. • Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dicti exponentes statuta, seu ordinationes hujusmodi quo firmiter subsistant, et serventur exactius apostolicæ confirmationis Nostre patrocinio communiti summopere desiderant.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos specialem ipsis exponentibus gratiam facere volentes, et eorum

singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutos fore censentes; supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: omnia, et singula præinserta statuta, seu ordinationes auctoritate apostolica, tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robur adijcimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, ac sanamus.

§. 4. Decernentes easdem præsentibus litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suumque plenarium, et integrum effectum sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et S. R. E. cardinales sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiti debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictæ urbis, nec non confraternitatis prædictæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis confirmatis et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die xxiv. januarii MDCCLXXXI, pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio contrariorum.

Dat. die
1. februarii
1782
Anno VII.

CCCLV.

Suppressio duorum monasteriorum ordinis sancti Hieronymi.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio decernende suppressionis.

§. 1. **C**um insula Sardiniae, quod contra Affricam in mari Mediterraneo constituta est, ac etiam litora ejusdem maris quotidie a barbaris nationibus infestentur, ac diripiantur, magnoque etiam bellico impetu adeo miserrime per illud debacchentur, ut nedum publicum commercium saepe saepius interelusum, ac maritimi com meatus impediti existant, verum etiam mercatorum naves, merces, ac substantiae, quodque cum gravi animi Nostri more commemoramus, ipsae Christifidelium habitantium personae non raro in hujusmodi crucis Christi hostium manus non sine suarum animarum salutis periculo incidant, eaque propter, dum hi ad litora hujusmodi adventare conspiciuntur, insulani sibi formidantes huc illuc an fugiunt sua omnia in illorum potestatem permittentes. Haec dum intellexit carissimus in Christo filius Noster Victorius Amadeus Sardiniae rex illustris vehementer ipsum commoverunt, ac pro sua religione, et pietate in istorum audaciam, et superbiam retundendam gravissimos fecit sumptus. Cum autem res sit, tum de publica causa, tum etiam de precavendis a paganorum superstitionibus Christifidelium animas, Nobis propterea supplicari fecit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenui suppressionis.

§. 2. Nos igitur, ut piis memorati Victorii Amadei regis illustris votis, quantum cum Domino possumus, annuamus, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati; cum, sicut nomine ejusdem Victorii Amadei regis illustris Nobis nuper expositum fuit, duo dumtaxat monasteria monachorum ordinis sancti Hieronymi congregationis Lombardiae, Novariae nempe, et in loco de Montebello Placentinae diocesis erecta existant, quorum familia vix ex octo suis subditis, ac totidem exteris monachis constat, qui cum ob tenuem numerum hujusmodi impares omnino sint regularem sui ordinis disciplinam in suo nativo candore conservare, ac etiam ani-

Bull. Rom. Tom. VI.

marum Christifidelium saluti, ut oportet, incumbere; cumque insuper annui redditus dictorum monasteriorum ad conspicuam summam sanctorum quinque millium circiter monetæ Romanæ ascendant, qui certo certius congruam dictæ familiae exhibitionem nimis ultrasuperant; hinc hisce omnibus seria, ac matura deliberatione pensatis, utilius cognovimus fore, si prævia dictorum duorum monasteriorum suppressione, suos redditus, sicut memoratus Victorius Amadeus rex postulat, quo sceleratorum prædonum ausibus facilius obstere valeat concederemus; motu itaque proprio, et ex certa scientia Nostri, ac de apostolicæ potestatis plenitudine duo dicta monasteria monachorum ordinis sancti Hieronymi congregationis Lombardiae Novariae scilicet, et in loco de Montebello existentia harum serie perpetuo supprimimus, ac extinguimus, ac perpetuo suppressa, et extincta esse decernimus, et declaramus.

Incorporatio honorum monasteriorum suppressorum.

§. 3. Monasteriorum vero prædictorum aedes, una cum adnexis ecclesiis, ac eorum fructus, redditus, proventus, ac bona omnia immobilia, mobilia, ac semoventia hactenus ad dicta monasteria spectantia, deductis prius oneribus, de quibus infra, ad construendas militares naves, easque armis, et hominibus, omnique bellico apparatu instruendas, motu, scientia, et auctoritate prædictis pariter perpetuo memorati Victorii Amadei regis dispositioni, et arbitrio concedimus, atque elargimur; omnes porro, et singulos dictorum monasteriorum hactenus alumnos, vel sacerdotes, vel laicos, qui in eis adscripti, seu affiliati sunt, quatenus regularis vitæ amore incensi ad alia monasteria ordinis prædicti transire non maluerint ad statum, vel presbyteri sæcularis, ac sub omni moda jurisdictione ordinarij loci, ubi pro tempore eos degere contigerit, vel laici respective pariter transferimus.

Reservatio pensionum favore professorum ordinis.

§. 4. Cum vero singularis memorati Victorii Amadei regis pietas, ac æqui, bonique studium, Nobis quam maxime perspectum sit, ipsius propterea arbitrio, quantitatem præstationis, seu pensionis dicti ordinis professoribus menstruatim, vel annuatim, ex prædictorum honorum fructibus persolvendæ præficiendam tradimus, ac deferimus, ut præterea in ecclesiis dictis monasteriis adnexis, quæ ad divinum cultum, et præcipue ad curam animarum ecclesiae sanctorum Gervasii, et Protasii de Montebello infixam, cujus statum quoad ele-

H h h.

ctionem parochi ejusdem ecclesie episcopo Placentino prædicto reservamus, spectant, utque piæ aliæ fundationes hujusmodi sollicitè, æque, ac religiose adimpleantur, suæ religioni summopere in Domino commendamus; ac demum eidem Victorio Amadeo regi, ejusque futuris successoribus, unum, vel duos, prout et quando ei libuerit ex primoribus militibus militiæ prædictæ in moderatores, qui prædictorum honorum, ac reddituum administrationi præsent, eligendi, ac deputandi plenam, et amplam facultatem motu, scientia, et auctoritate pariter tribuimus, et imper-timur.

Deputatio de-
legati aposto-
lici pro execu-
tione literarum
apostolice
curie.

§. 5. Quocirca dilecto filio Francisco Ferrerio abbati sancti Jacobi de Besa Bugellensis diocesis sacræ theologiæ doctore, ac in regia universitate Taurinensi ethicæ professori harum serie committimus, ut ipse tanquam a Nobis, et apostolica Sede specialiter delegatus has præsentès solemniter publicans, eundem Victorium Amadeum regem, ac pro eo legitimum suum procuratorem, in veram, realem, et actualem possessionem dictorum duorum monasteriorum monachorum ordinis sancti Hieronymi congregationis Lombardiæ, ecclesiarum eis ednexarum, et bonorum quorumcumque juxta præsentium seriem immittat, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistens faciat auctoritate Nostra easdem præsentès literas, et in eis contenta quæcumque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari. Contradictores vero quoslibet cujuscumque status, ordinis, vel præminentiae fuerint, per sententias, censuras, et penas ecclesiasticas, aliaque opportuna juris, et facti remedia, appellatione posposita, compe-scendo.

Declarationes
speciales, et
decretum irri-
tant.

§. 6. Volumus autem quod redditus, et fructus honorum hujusmodi in conservationem tantum, ac incrementum regie classis, et non in alios usus convertantur. Decernentes has præsentès literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolice auditors judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attemptari.

§. 7. Non obstantibus quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac aliis Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non ordinis, et monasteriorum prædictorum etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die prima februarii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio con-
trariorum

CCCLVI.

Dat. die
1 february
1789
Anno VII.

Confirmatio decreti congregationis Episcoporum, et Regularium super cessione, et applicatione cujusdam prædii monasterio Præmetensi ordinis Cisterciensis Posnaniensis diœcesis facta.

Venerabili fratri Joanni Andreæ archiepiscopo Calcedonensi apud carissimum in Christo filium Nostrum Stanislaum Poloniæ regem illustrem Nostro, et apostolicæ Sedis nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem.
et apostolicam benedictionem.

§. 1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Szoldrski abbas monasterii Præmetensis monachorum ordinis Cisterciensis Posnaniensis diœcesis, dictique ordinis per utramque Poloniam, Borussia, et magnum ducatum Lithuanie commissarius visitator, et vicarius generalis, quod alias ob devastationem cujusdam sylvæ Pinealis itidem Præmetensis nuncupatæ, quam, ut asseritur, jure primitivæ divisionis communiter cum abbacia Præmetensi cedere dictum monasterium jus habet, tam quondam Robertus Batakowski de anno MDCCXXV., quam Paulus Rosdrascewski de anno MDCCXXXII., demique Hieronymus Turno de anno MDCCXXXVII. dum essent dicti monasterii abbates Præmetenses, et exponentis antecessores immediati, eidem monasterio certorum agrorum in fundo memoratæ sylvæ existentium culturam, et prædioli novæ-Villæ nuncupatæ erectionem ad compensanda damna, quæ dictum monasterium in comparandis sibi alio ligais substinere debet, aliisque de causis permiserunt, cesserunt, appropriarunt, ac continua, et perpetua pace dictam novam-Villam retinere, et possidere fecerunt, adeo ut alter alterius assensum desuper præstaret, ac cessionem, et appropriationem hujusmodi sine ulla contraventione acceptaret, et adprobaret. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat dictus exponens, quo suam erga prædictum monasterium propensionem exhibere valeat, discusso prius diligenter prædictæ erectionis, et possessionis jure, eoque pro justo, et valido recognito, memorata prædiola novæ-Villæ nuncupatæ erectionem, et respective possessionem cum plenissimo omnium ejus fructuum usu approbaverit, et ra-

tam habuerit, ac perpetuo adsciverit, et appropriaverit, omnique juri, quod sibi, vel successoribus suis desuper quomodolibet competere, et suffragari posset cesserit; Nobis propterea humiliter supplicari fecerit, ut cessionem, et respective erectionem, et possessionem hujusmodi approbare, et confirmare de benignitate apostolica dignemur.

§. 2. Nos igitur dictum exponentem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacunque de causa latis, si quis forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore consentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium negotiis, et consultationibus episcoporum, et regularium præpositorum, qui relationem moderni prioris generalis prædicti ordinis attenderunt, consilio, fraternitatis tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis cessionem, et approbationem dicti prædii novæ-Villæ a memorato exponente favore prædicti monasterii Præmetensis, ut præfertur, factam auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et consentia adprobes, atque confirmes.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et monasterii prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogationibus, derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die prima februarii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno septimo.

Dat. die
19 februarū
1782
Anno VII.

CCCLVII.

Unio quindecim conventuum fratrum ordinis Prædicatorum alias ad provinciam Lombardiæ spectantium ad provinciam de s. Petro martyre, ac insuper divisio ejusdem provinciæ in duas regiones

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam

Proemium

§. 1. **E**x injuncto Nobis pastoralis muneris debito religiosorum hominum, qui contemptis illecebris hujus sæculi divinis se se obsequiis mancipantur, quieti, et tranquillitati præcipua quadam, et singulari sollicitudine providere tenemur, ut iis omnibus sublati, quæ illorum in via Domini progressum retardare possent, majori alacritate divinis laudibus persolvendis, et Christifidelium saluti promovendæ incumbant.

Expositio præcumb.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit carissimus in Christo filius Noster Victorius Amadeus Sardiniaæ rex illustris, quod cum in regnis, ac regionibus sibi subjectis, quam plures conventus fratrum ordinis Prædicatorum erecti existant, quorum aliqui uni subiciuntur magistro provinciali, aliqui vero alteri satius, ac illis conventibus, qui ad exteram provinciam spectant utilius foret, immo in omnibus conventibus prædictis magis magisque regularis disciplina, qua dictus ordo in ecclesia Dei maxime commendabilis conspicitur firmaretur, quoties omnes conventus prædicti, ac in sua ditione existentes uni provinciæ de sancto Petro martyre nuncupatæ unirentur, ac incorporarentur, quodque sic per Nos uniri, ac incorporari summopere desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis oportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenore congregationis.

§. 3. Nos igitur piis memorati Victorij Amadei votis ad regularem disciplinam tuendam, ac ad ordinis prædicti fidelium in via Domini progressum tendentibus, quantum cum Domino possumus benigne annuere, dictumque ordinem specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et singulares ditorum fratrum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et penis quovis modo, et quacumque de

causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, conventum Sanctæ Crucis, et omnium sanctorum de Bosco nuncupatum Alexandrinæ diocesis, provinciæ Mediolanensis, conventum sanctæ Mariæ de Pietate de Vicotorie, seu Voghera nuncupatum, conventum sancti Dominici Albensis diocesis, conventum sancti Baudolini Alexandrinæ diocesis, conventum sancti Martiani Derthonensis diocesis, conventum sancti Vincentii de Barderato nuncupatum, conventum sancti Antonii de Bagnasco nuncupatum, conventum sancti Dominici Casalensis diocesis, conventum sancti Vincentii de Paresio nuncupatum, conventum sancti Dominici Nicieusis diocesis, conventum sancti Vincentii de Reconigi nuncupatum, conventum sancti Spiritus de Rivalta nuncupatum, conventum sancti Joannis Salutiarum diocesis, conventum sancti Petri martyris Viglevansis diocesis, conventum sancti Jacobi de Valentino foro, seu de Valenza nuncupatum, conventum sanctæ Catharinæ de Trino nuncupatum, et conventum sancti Dominici de Cherasco nuncupatum, nec non omnes conventus sanctimonialium ordinis prædicti, qui sub cura, gubernio, ac administratione fratrum dicti ordinis sunt, ac intra memorati Victorij Amadei regis illustris ditionem consistentes, prævia illorum dismembratione, ac segregatione a provincia, seu provinciis ordinis prædicti, quibus in præsentia addicti existunt, cum provincia de sancto Petro martyre ordinis prædicti auctoritate apostolica harum serie unimus, conjungimus, adnectimus, et incorporamus, ac unitos, conjunctos, adnexos, et incorporatos perpetuo futuros fore decernimus, et declaramus, et cum alias omnes conventus, ut præfertur, dictæ provinciæ de sancto Petro martyre uniti ad provinciam Lombardiæ spectabant, hinc omnia, et singula privilegia, jura, et exemptiones, quibus dicta provincia Lombardiæ uti, frui, et gaudere dignoscitur, cum omnibus tamen oneribus, quibus privilegia hujusmodi sunt adnexa, ad dictam provinciam de sancto Petro martyre auctoritate, et tenore prædictis extendimus, atque ampliamus.

§. 4. Ut porro ad ejusdem quoque provinciæ sit ob numerum adnexorum conventuum ad hæc statum magis magisque stabiliendum, firmandumque providentiæ Nostræ intuitum converta-

Declat. auto sp. cialis.

mus; hinc in primis totam provinciam ita constitutam in duas regiones, seu partes dividimus, quarum una nempe consistet ex conventibus, qui ad provinciam Lombardiæ hactenus spectabant, duobus tamen ab ea exceptis sanctæ Catharinæ de Trino, et sancti Dominici de Cherasco nuncupat., ex quibus una cum aliis conventibus provinciæ de sancto Petro martyre usque nunc addictis altera regio, seu pars æqua lance coalescat, ex iis duabus sic præfinitis regionibus alternatim magister provincialis debitis temporibus juxta formam per statuta, ac stabilimenta dicti ordinis auctoritate apostolica confirmata præscriptam erit eligendus, qui toti provinciæ cum debita subjectione, ac obsequio dilecto filio magistro generali ordinis prædicti pro tempore existenti, præsit. Duos insuper designamus conventus, alterum scilicet sancti Dominici de Cherio, alterum vero sancti Vincentii de Gerexio nuncupat. in quibus, qui religionis desiderio tenentur primi novitiatus curriculum explere possint; statuimus pariter conventum sanctæ Crucis, et omnium sanctorum de Bosco nuncupat. cum omnium aptior sit, pro studio generali, illæso tamen jure, quo singulæ provinciæ ad magistri generalis dicti ordinis libitum utuntur, mittendi videlicet suos alumnos ad studia generalia aliarum provinciarum. Magistro præterea provinciali, quem prædictæ provinciæ infra deputamus, jam constitutos conventus in provincia pro studiis retinendi, vel etiam novos juxta rerum, ac temporum vices designandi, et adiciendi, dummodo tamen privilegia collegii sancti Dominici Taurinensis alias ei concessa sarta tecta præstentur, plenam facultatem auctoritate prædicta impertimur. Quæ quidem omnia ab ipso magistro provinciali, ut præfertur, disponenda, non prius suam firmitatem nancisci volumus, ac decernimus, quam a magistro generali ordinis prædicti juxta præscriptum statutorum, ac constitutionum, ejusque ordinis confirmentur. Quoniam autem Nobis maxime cordi est, ut regularis ordinis prædicti disciplina illibata, omnisque morum gravitatis pura conservetur, quod assequi facilius potest, quoties in provincia aliqui conventus sint, in quibus severior, ac austerior vita geratur, hinc, quoad duos conventus sanctæ Catharinæ de Trino nuncupat., et sancti Dominici de Cherasco nuncupat., nunc primum provinciæ de sancto Petro martyre, ut præfertur, unitos, in quibus satis du-

rum vitæ institutum retinetur, nihil prorsus innovari decernimus.

§. 5. Tandem cum religionis æelus, morum integritas, aliæque virtutum merita, per quæ dilectus filius Dominicus Thomas Sarra dicti ordinis professor, ac moderans provinciæ de sancto Petro martyre magister provincialis apud Nos commendabilis existat, Nos inducant, ut ei, et provinciæ prædictæ concedamus, quæ ad majorem illius utilitatem pertinere dignoscuntur; hinc est, quod memoratum Dominicum Thomam in munus provincialis hujusmodi usque ad proximum capitulum provinciale confirmamus, et quatenus opus sit, eligimus, et deputamus.

Concessiones
favore provin-
ciæ de sancto
Petro martyre
nuncupatæ.

§. 6. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quædocumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula sub-
blata, et de-
cretum irritans.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et provinciarum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permauris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima nona februarii MDCCLXXXII. pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio con-
trariorum.

CCCLVIII.

Dat. die
19 februarj
1783
Ann. VII.

Conceduntur nonnulla privilegia commissariis visitoribus aggregatorum tertij ordinis s. Francisci Lisbonensis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Prooimium.

§. 1. Inter cæteras sollicitudines, quæ Nobis ex officio creditæ servitutis hisce præsertim temporibus incumbunt, illam libenter amplectimur, per quam regularem vitam profitentium studiis intendentes, privilegia, et gratias iis inter cæteros concedamus, qui labores suos pro Christifidelium salute jugiter impendentes, difficiliora etiam munera suscipere non abnuent, ut hisce deveci magis magisque, quæ ad christianam religionem illibatam, ac puram inter hujus sæculi ambages, et pericula conservandam profutura fore noscuntur suscipiant, cæteri vero eadem promereri impense studeant, prout rerum, et temporum qualitatibus debite, ac mature pensatis in Domino salubriter expedire conspicimus.

Expositio præcæm.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Joannes Petrus de Mello sacerdos principalis patriarchalis ecclesiæ Lisbonensis, quod cum ille, qui in præsentiarum est modernus minister aggregatorum utriusque sexus tertij ordinis nuncupatorum sancti Francisci civitatis Lisbonensis sub speciali regimine fratrum ejusdem tertij ordinis in regnis Portugalliæ, et Algarbiorum existentium, ex rerum usu deprehenderit, quot, et quantos labores exantlare debeant fratres commissarii visitores dicti ordinis, qui super aliis etiam tribus corporationibus, ut aiunt, dictorum aggregatorum extra prædictam civitatem Lisbonensem erectis, quorum omnium numerus ad quatuor millia circiter ascendit, tum sæpe sæpius in confratrum prædictorum excipiendis confessionibus, tum in verbum Dei evangelizando, tum in illos christianis doctrinis erudiendo, ac etiam illos ægotantes invisendo, et in agone constitutos adversus infensissimi generis humani hostis technas erigendo, ac animum addendo, quæ quidem nendum Ulyssipponis, verum etiam in aliis locis, ubi tres aliæ corporationes prædictæ erectæ reperiuntur, quas nisi difficili, ac impervio itinere quod præsertim traicere tenetur flumen Tagum pe-

tere potest. Hinc in præmium religiosorum laborum hujusmodi per Nos aliquam gratiam, seu præeminentiam, ac dignitatem commissariis visitoribus prædictis concedi summopere desideret; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos igitur sollicitudines, ac studia, quæ per commissarios visitores hujusmodi pro tempore existentes sunt suscipienda, ac prædecessorum Nostrorum exempla, qui non raro regularibus personis difficilia, ac ardua munera in sua religione gerentibus privilegia, exemptiones, ac dignitates donarunt, sectantes, precibusque memorati exponentis annuere volentes, ac singulares dictorum visitorum commissario- rum personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, non obstante quovis decreto favore dicti commissarij visitoris in capitulis generalibus, aut provincialibus dicti ordinis emanato, commissariis visitoribus prædictis si prædicatores tantummodo fuerint, et per sexennium munere suo laudabiliter, neque ex intervallo functi sint, ut omnibus, et singulis privilegiis, et gratiis, exemptionibus, et prærogativis, quibus tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet in dicto ordine qui definitoratus officium gesserunt, utuntur, fruuntur, et gaudent; si autem per duodecim integros annos, ut præfertur, pariter in dicto munere suæ religioni inservierint, ut omnibus, et singulis gratiis, exemptionibus, et prærogativis quibus ex provinciales, seu patres provinciæ, tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet utuntur, fruuntur, et gaudent, pari modo, et absque ulla differentia uti, frui, et respective gaudere, libere, ac licite possint, et valeant; si porro dictus commissarius visitor erit, vel ex-definitor, vel doctor in theologia, vel lector jubilatus de jure, aut ex gratia, dummodo per sexennium, vel theologiæ tantum, vel philosophiæ, et theologiæ practicæ, aut speculativæ cathedram moderarit, et per sexennium, ut præfertur, commissariatus munus præstiterit, ut ipse omnibus, et singulis gratiis, privilegiis, exemptionibus, et præroga-

Tenor concessionis.

tivis, quibus tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet in dicto ordine, qui provincialatus officio in illa provincia functi sunt, utuntur, fruuntur, et gaudent, pari modo, et absque ulla differentia, uti, frui, et gaudere libere, ac licite possit, et valeat, ita ut dum munere prædicto fungit, habeat jus suffragii in capitulis provincialibus auctoritate Nostra apostolica harum seriè perpetuo concedimus, et impertimur.

§. 4. Decernentes has præsentis litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quaecumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, ac sanctæ Sedis nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 5. Non obstantibus in quibusvis capitulis generalibus, aut provincialibus, ac apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti ordinis, et provinciæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima nona februarii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno septimo.

Clausula sub-
blata, et de-
cretum irri-
tantis.

Derogatio
contrariorum.

CCCLIX.

Facultas erogandi fructus beneficiorum vacantium.

Carissimæ in Christo filiæ Nostræ Mariæ Franciscæ Portugalliæ, et Algarbiorum reginæ fidelissimæ.

Pius PP. VI.

Carissima in Christo filia Nostra salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. **P**aterna charitas, qua te ob singularia in Nos, et in hanc sanctam Sedem merita prosequimur Nos inducit, ut ea tibi libenter concedamus, quæ a te summopere desiderari cognoscimus. Quamobrem cum nuper nobis tui nomine expositum fuit, quod plura beneficia regii juris patronatus, nec non domus Bragantiæ, et domus Reginæ nuncupat. in tuis regnis Portugalliæ, et Algarbiorum vacantia reperiantur, quorum fructus, et proventus, dum vacant in commodum, et utilitatem futurorum in iisdem beneficiis successorum deponi consuevere, quos tamen, sicuti experientia comperit, non semper beneficiati juxta sacros Ecclesiæ canones erogant, in alios vero pios usus arbitrio tuo eligendos ad tui vitam collocari posse summopere exoptes, Nobisque propterea supplicari feceris, ut in præmissis opportune providere, et ut infra iudicare de benignitate apostolica dignemur.

§. 2. Hinc Nos piis tuis votis hujusmodi, quantum cum Domino possumus annuere volentes, ac supplicationibus hujusmodi tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati tibi, ut quoad naturaliter vixeris, fructus, ac proventus beneficiorum, nedum eorum, quæ de regio jure patronatu tuo, nec non domus Bragantiæ, ac domus Reginæ asseruntur, sed etiam eorum, quæ sunt liberæ collationis in regnis Portugalliæ, et Algarbiorum prædictis existentium, dum vacant collectos, et aservatos, detracta tamen illorum quantitate, quæ tum in ecclesias, tum in prædicta onera, cum etiam in sustentationem novorum beneficiorum usque ad proximam ipsis debitam fructuum perceptionem erit imponenda, in alios pios usus pro tui arbitrio, ac conscientia constituendos, stabiliendosque erogare, ac collocare libere, ac licite possis, et valeas, eosque erogandi, et col-

Dat. die
29 februarii
1762
Anno VII.

Expositio pro-
curi.

Tenor concessio-
nis.

locandi plenam, et amplam facultatem, auctoritate apostolica harum serie, respective concedimus, et impertimur.

Clausula au-
blata, et decre-
tum irritans.

§. 3. Decernentes has præsentis li-
teras firmas, validas, et efficaces exi-
stere, et fore, suosque plenarios, et in-
tegrus effectus sortiri, et obtinere, ac
tibi in omnibus, et per omnia plena-
sime suffragari, et ab eis inviolabiliter
observari. Sicque in præmissis per quos-
cumque iudices ordinarios, et delega-
tos etiam causarum palatii apostolici au-
ditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ
cardinales etiam de latere legatos, ac
sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eo-
rum cuilibet quavis aliter iudicandi, et
interpretandi facultate, et auctoritate ju-
dicari, et definiri debere; ac irritum,
et inane si secus super his a quoquam
quavis auctoritate scienter, vel ignoran-
ter contigerit attentari.

Derogatio con-
trariarum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis,
ac in universalibus, provincialibusque,
et synodalibus conciliis editis genera-
libus, vel specialibus constitutionibus,
et ordinationibus, ac eorundem be-
neficiorum etiam juramento, confir-
matione apostolica, vel quavis firmi-
tate alia roboratis statutis, et consue-
tudinibus; privilegiis quoque indultis,
et literis apostolicis superioribus, et
personis sub quibuscumque tenoribus,
et formis, et cum quibusvis etiam de-
rogatoriarum derogatoriis, aliisque ef-
ficacioribus efficacissimis, ac insolitis
clausulis irritantibusque, et aliis decre-
tis in genere, vel in specie, ac aliis
in contrarium quomodolibet conces-
sis, approbatis, et innovatis. Quibus
omnibus, et singulis illorum tenores
præsentibus pro plene, et sufficienter
expressis, ac insertis habentes, illis alias
in suo robore permansuris ad præmis-
sorum effectum hac vice dumtaxat, spe-
cialiter, et expresse derogamus cæte-
risque contrariis quibuscumque. Datum
Romæ apud sanctum Petrum sub an-
nulo piscatoris die decima nona februa-
rii millesimo septingentesimo octuage-
simo secundo, pontificatus Nostri anno
septimo.

CCCLX.

Dat die
19 Februarii
1782
Anno VII.

Confirmatio literarum apostolicarum Eu-
genii IV. et Clementis X. pro confrat-
ernitate sancti Antonii de Padua nun-
cupati in civitate Lisbonensi.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fece-
runt dilecti filii rector, et officiales
confraternitatis sub titulo, seu invoca-
tione sancti Antonii in ecclesia regia
nuncupat: ejusdem sancti Antonij de
Padua nuncupati in civitate Lisbonensi
canonice, ut asseritur erectæ, quod
alias felicis recordationis Eugenius pp. IV.
prædecessor Noster supplicationibus tunc
existentium antianorum, nec non rectorum
communitatis dictæ civitatis Lisbo-
nensis per suas apostolicas literas me-
moratam ecclesiam tunc cappellam cum
suis possessionibus, rebus, et bonis ab
ordinariorum quorumlibet jurisdictione,
et dominio exemit, nec non sub beati
Petri, et Sedis apostolicæ, atque sua
protectione suscepit, ac alias prout in
eisdem literis, quarum tenor est qui
sequitur videlicet.

Expositio præ-
sum prædicto-
rum.

§. 2. Eugenius episcopus servus ser-
vorum Dei = Ad perpetuam rei memo-
riam = Sedes apostolica licet omnium,
et singulorum totius orbis ecclesiarum,
et locorum ecclesiasticorum principa-
tum obtineat, illaque sibi disponente
Domino subjecta sint, ex ipsa tamen
aliqua interdum sibi specialiter subdit,
et a quorumlibet potestate subtrahens
quibusdam illa libertatum, honorumque,
prærogativis attollit, ut Sedes ejusdem
suffulta præsidii votivi status, et uber-
tate solidentur, ac salubria in spiritua-
libus, et temporalibus suscipiant incre-
menta. Sane pro parte dilectorum fi-
liorum antianorum, nec non rectorum,
ac communitatis civitatis Ulyssiponensis
Nobis nuper exhibita petitio continebat,
quod ipsi recensentes attentius, quod
omnipotens Dominus meritis gloriosi
sui confessoris sancti Antonii de Padua,
qui in dicta civitate, ex notabilibus de
quorum prosapia plerique supersunt, na-
tus, ac ejus tempore juventutis virtuti-
bus directus extitit, apud locum suæ
nativitatis operari plura miracula digna-
tus est, ut celebris, inibi prædicti san-
cti memoria sit quandam cappellam
prope locum prædictum honorifice con-
strui, erigique fecerunt; nec non pluri-

Tenor litera-
rum Eugenii
IV.

bus redditibus, et bonis pro presbyteris, et clericis ibidem Altissimo servitibus dotarunt, ac passim pretiosioribus structuris, et ædificiis fulcire, et decorare, grata quoque ibidem charitatis opera peragere corde gerunt, præcipuis cupientes affectibus, quod ipsa cappella cum suis possessionibus, rebus, et bonis ab ordinariorum dominio quorumlibet libera sit tempore procedente. Nos itaque dictorum antianorum, rectorum, et communium in hac parte supplicationibus inclinati, cappellam prædictam cum omnibus suis possessionibus, rebus, et bonis hujusmodi præsentibus, et futuris ab omni jurisdictione, dominio, potestate, visitatione, et superioritate archiepiscopi, et archidiaconi Ulyssiponensis, qui pro tempore fuerunt, nec non eorum officialium, ac quorumcumque aliorum ordinariorum auctoritate apostolica penitus eximimus, ac totaliter liberamus, nec non sub beati Petri, et dictæ Sedis protectione suscipimus, atque Nostra, ita quod nullus ex archiepiscopo, archidiacono, officialibus ordinariis, et iudicibus prædictis possint auctoritate ordinaria in cappellam, possessiones, res, et bona hujusmodi utpote prorsus exempti jurisdictionem, potestatem, visitationem, superioritatem, seu quodvis dominium exercere, nec non omnes, et singulos processus, ac excommunicationis, suspensionis, et interdicti sententias, quos haberi, vel promulgari, nec non totum id, et quidquid fieri, vel attentari scienter, vel ignoranter quavis auctoritate contigerit contra exemptionem, et liberationem hujusmodi nullius decernimus existere firmitatis. Volumus tamen quod presbyteri, clerici, servitores, ministri, et personæ dictæ cappellæ sub jurisdictione ordinaria remaneant præsentibus, atque futuræ, non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc. si quis autem etc. Datum Romæ apud sanctum Petrum anno etc. nono kalendas februarii pontificatus Nostri anno III.

Concessio facta a Clemente X. memoratur.

§. 3. Postmodum autem piæ claræ memoriæ Clemens pp. X. prædecessor quoque Noster ad preces tunc pariter existentis senatus, et populi civitatis prædictæ, ac provisoris, aliorumque officialium, et confratrum ejusdem confraternitatis sibi humiliter porrectas per alias apostolicas literas indulxit, ut in memorata ecclesia missæ per horam ante auroram, et ibidem per horam post meridiem celebrari possent, quarum

Boll. Rom. Tom. VI.

quidem literarum tenor est qui sequitur, nempe.

§. 4. Venerabili fratri Marcello archiepiscopo Chalcedonensi Nostro, et apostolicæ Sedis in Portugalliæ, et Algarbiorum regnis nuntio = Clemens pp. X. = Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem. Exponi Nobis nuper fecerunt dilecti filii senatus, et populus civitatis Ulyssiponensis, ac provisor, aliique officiales, et confratres confraternitatis sub titulo, seu invocatione sancti Antonii Lusitani, qui in partibus Italiæ de Padua vocatur in ecclesia ejusdem sancti Antonii dictæ civitatis, canonice (ut asseritur) erectæ, quod cum dicta ecclesia, quæ nec parochialis, nec regularis existit in medietate ejusdem civitatis posita ab innumeris Christifidelibus pro eximia eorum erga præfatum sanctum Antonium devotione quotidie frequentetur, tantus est missarum volutarum, pro quibus in dicta ecclesia celebrandis eleemosynæ in dies præstantur, numerus, ut quadraginta annuatim excedat, et licet in eadem ecclesia multa sint altaria, multique cappellani stipendiali, et eleemosyna pro missæ celebratione cuicumque presbytero eam requirente præstetur, nihilominus non possunt omnes missæ hujusmodi ibidem ab aurora usque ad meridiem celebrari, sed magnum semper illarum numerum alibi celebrari curare oportet. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat dicti exponentes præmissis attentis, sacrosanctum missæ sacrificium in ecclesia præfata tam ante auroram, quam post meridiem celebrari posse plurimum desiderent, idque etiam toto populo multum commoditati sit allaturum, attento quod nulla est in dicta civitate ecclesia, cui ejusmodi privilegium auctoritate apostolica concessum reperitur; multi vero ibidem sunt, qui interdum in publicum prodire nequeunt, ac negotiis distenti missam interdum etiam festis diebus audire non possunt. Nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt ad effectum præsentium duntaxat con-

Tenor literarum apostolicarum ad rem datarum a Clemente X.

sequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, quatenus constituto tibi de narratis, ut missæ in ecclesia præfata per horam tantum ante auroram, ac itidem per horam post meridiem celebrari libere, et licite possint; ita ut sacerdotibus sic celebrantibus id ad culpam nullo modo valeat imputari auctoritate Nostra apostolica arbitrio tuo concedas, et indulgeas. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die vicesima tertia decembris millesimo sexcentesimo septuagesimo quinto pontificatus Nostri anno sexto.

Preces pro confirmatione privilegiorum concessorum a literis superius relatis.

§. 5. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, prædicta ecclesia præinsertis privilegiis, et indultis a primæva eorum concessione usque in præsens pacifice gavisa fuerit, et gaudeat; exponentes autem probe noverint, privilegia, et indulta semel concessa, majorem suscipere roboris firmitatem dum ea confirmari contingat; Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut præinsertas literas apostolicæ confirmationis Nostræ patrocínio communitate de benignitate apostolica dignemur.

Tenor confirmationis apostolicæ.

§. 6. Nos igitur dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinsertas Eugenii, et Clementis prædecessorum Nostrorum literas, et in eis contenta quæcumque auctoritate apostolica tenore præsentium confirmamus, et adprobamus, illisque inviolabilis apostolicæ firmitatis robor adijcimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula subblata, et decretum irritans.

§. 7. Decernentes easdem præsentem literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quâocumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, ac sanctæ Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cui-

libet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus omnibus, et singulis illis, quæ memoratus Eugenius, et Clemens in suis respective literis voluerunt non ob stare, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima nona februarii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio contrariorum.

CCCLXI.

Confirmatio cessionis duarum cappellaniarum sub invocatione s. Philippi Nerii erectarum a quodam Luca Giannini factæ favore archipresbyteri ecclesiæ collegiatae Castri Novi Portuensis diocesis.

Dat. die
22 Januarii
1782
Anno VII.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Sacrosancti apostolatus ministerium, quod ineffabilis divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei altitudo humilitati Nostræ nullis licet suffragantibus meritis per abundantiam cælestis misericordiæ credit, jugiter Nos admonet, ut inter multiplices, gravissimasque apostolicæ servitutis curas, quæ ex Ecclesia per universum orbem dispersa quotidie Nos undique premunt, hisce præsertim difficillimis temporibus, Nostræ quoque providentiæ intuitum ad bonum cujusque ecclesiæ convertamus, prout in Domino salubriter expedire conspiciamus.

Premium

§. 2. Sane sicut Nobis nuper exponi fecit venerabilis frater Karolus S. R. E. cardinalis episcopus Portuensis Rezzonico nuncupatus alias bo. mem. Clarix Anguillara Columna, dum erat oppidi Castri Novi Portuensis diocesis baronissa mandavit in suis testamentariis tabulis anni 1635 sive veriori tempore exaratis fundari rectoriam, seu cappellaniam in nosocomio dicti oppidi cum dotatione scutorum trium quolibet mense, ac trium mensurarum frumenti rubbia nuncupat. quolibet an-

Erectio capellaniæ facta a Clarice Anguillara Columna memoratur, et exponuntur leges impositæ in erectione.

no cum onere inter cætera archipresbyterum collegiatæ dicti oppidi in cura animarum adjuvandi, quod adeo ei cordi fuit, ut nominationem hujusmodi cappellani, archipresbyteris prædictis pro tempore existentibus concessit, voluitque, ut rector, seu cappellanus hujusmodi esset ad eorum nutum amovibilis.

Tenor decreti editi a cardinali Guadagni, quo commutata fuit testatrix voluntas.

§. 3. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat ho. mem, Joannes Antonius, dum vixit cardinalis episcopus Portuensis Guadagni nuncupatus in actu suæ visitationis diœcesis Portuensis prædictæ per decretum die iv. januarii 1759 publicatum ad augendum satis exiguum numerum canonicorum collegiatæ ecclesiæ dicti oppidi, ac etiam magis magisque divinum cultum, dictæque ecclesiæ servitium promovendum, dictam cappellaniam, seu rectoriam in canonicatum dictæ collegiatæ erexit, eique onus injunxit nedum celebrandi omnibus dominicis, aliisque festivis diebus de præcepto in suffragium animæ fundatricis in ecclesia ejusdem nosocomij, sed etiam in omnibus dictis diebus excipiendi sacramentales Christifidelium confessiones in dicta collegiata ecclesia, nisi a debita præstanda assistentia infirmis in nosocomio prædicto existentibus, quemadmodum omnes rectores, seu cappellani tunc usque consueverunt, esset præpeditus, eique indulsit, ut omnibus, et singulis juribus, honoribus, gratiis, et præeminentiis, quibus cæteri capitulares utebantur, fruebantur, ac gaudebant, pari modo supportatis tamen oneribus, quæ capitulares prædicti juxta formam capitularium constitutionum supportabant, uti, frui, et gaudere libere ac licite posset, nulla facta tamen mentione oneris dictis rectoribus, seu cappellanis impositi, adjuvandi scilicet archipresbyterum ejusdem collegiatæ in animarum cura, ac etiam juris, cujus iidem archipresbyteri potiebantur nominandi dictum rectorem, seu cappellanum ad eorum nutum amovibilem.

Exponitur recens habitus pro consequenda executione legis impositæ in fundatione cappellaniæ, ex concordia inita cum cessione cappellaniæ a Giannini erectarum

§. 4. Ast, sicut eadem expositio prosequatur, licet hæc omnia pro majori ecclesiæ collegiatæ servitio, ac cultu fuerint provide disposita, nihilominus cum archipresbyteri prædicti exinde, nedum jure nominandi rectorum, seu cappellanum hujusmodi spoliati, sed necessario auxilio in cura animarum gerenda, in quod præcipue intendit memorata fundatrix, privati fuerint, ad avertendas omnes lites, quæ a dictis archipresbyteris, vel jam

intentatæ fuerunt, vel intentari in posterum poterunt, pro abolitione, ac cassatione erectionis dicti canonicatus, quæ fieri nequiret, sine gravi divini cultus in prædicta ecclesia collegiata detrimento, memoratus Karolus cardinalis episcopus, obtento prius consensu moderati archipresbyteri prædicti, nec non cessione juris nominandi ad duas cappellanas sub titulo, ac invocatione sancti Philippi Neri a quondam Luca Giannini anno 1713 in dicto oppido Castri Novi erectas a dilectis filiis hominibus dictæ communitatis, earumdem cappellaniarum nominationem in favorem archipresbyterorum prædictorum, ut earum redditus in emolumentum existant cappellani ab ordinario approbandi, qui eis in cura animarum adjuvet, quique sit ad eorum nutum amovibilis, prout erat cappellanus, sive rector prædicti nosocomij, redditusque iidem de tempore, quo archipresbyteri cappellanum actu non habuerint, applicentur usibus arbitrio ordinarij, censuit subrogari, utque hujusmodi cessio cappellaniarum firmiter subsistat, ac servetur exactius, earumque nominatio in favorem dictorum archipresbyterorum subrogetur, et redditus, ut supra applicentur; nec non erectio canonicatus ut præmittitur, facta convalidetur; Nobis propterea memoratus Karolus cardinalis episcopus humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 5. Nos igitur veræ pastorali sollicitudini memorati Karoli cardinalis episcopi obsecundare cupientes, eumque specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, ac supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinatis, dictam erectionem canonicatus a ho. mem. cardinali Guadagni tunc episcopo Portuensi, ut præfertur, factam cum omnibus inde secutis auctoritate apostolica tenore præsentium validamus, et confirmamus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper intervenerint, eadem auctoritate supplemus; cessionem insuper dictarum duarum cappellaniarum Giannini ab hominibus dictæ communitatis factam, ad hoc ut earumdem fructus perpetuo in alimentum, ac substantiationem cappellani ad nominationem, et ad nutum amovibilis ab archipresbyteris dictæ collegiatæ Castri Novi eligendi, et ab ordinario approbandi, qui eis in cura animarum gerenda adjuvet, supportatis tamen oneribus misarum eidem

Auctoritate apostolica transactio confirmatur.

cappellanis adjectis, cedant, cum omnibus, et singulis in eadem cessione contentis, ac etiam cum eo, quod redditus dictarum cappellaniarum de tempore, quo prædicti archipresbyteri cappellanum actu non habuerint, applicentur usibus piis arbitrio ordinarij, auctoritate, et tenore prædictis confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis firmitatis robur adiicimus, ac omnes, et singulos juris, et facti defectus in eadem cessione, quatenus opus sit, interventus supplementis.

Clausula salutares, et irritantes

§. 6. Decernentes has præsentis litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 7. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac quatenus opus sit, memoratæ Claricis etiam ultima voluntate, quam quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, nec non in generalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti hospitalis etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis, Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Petram sub annulo piscatoris die vicesima secunda januarii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno septimo.

CCCLXII.

Dat. die
22 januarii
1782
Anno VII.

Licentia monialibus sanctæ Mariæ de Valverde Panormitanæ civitatis erigendi novum monasterium extra mœnia dictæ civitatis, ibique morandi per aliquod anni tempus.

Venerabili fratri
archiepiscopo Panormitano.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecerunt dilectæ in Christo filiæ moderna abbatissa, seu priorissa monasterii de sancta Maria di Valverde istius civitatis Panormitanæ, quod cum ipsius civitatis aer gravis per se ipsum sit, et humanis corporibus insalubris, præsertim quibus non est liberum motu, et ambulatione se se exercere, dictum vero monasterium in ea civitatis parte situm sit, quod præ reliquis est magis sanitati noxium, tum ob aerem ipsum, cum propter altitudinem, ad quam duo monasteria, seu conventus sancti Dominici scilicet, et sanctæ Citæ nuncupata evecta sunt, unde eidem monasterio impendunt, illudque occupant, ex quo medici ipsas exponentes adversa identidem uti valetudine deponunt, ipsæ ad advertenda hujusmodi incommoda, ac ut benevaleptes divinis obsequiis impensius vacare possint, novum monasterium extra mœnia istius civitatis Panormitanæ ædificare, ibique per aliquod anni tempus permanere posse plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Expositio præcipua

§. 2. Nos igitur ipsas exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, earumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo; et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus hujusmodi earum nomine Nobis humiliter porrectis inclinatis, fraternitati tuæ per præsentis committimus, et mandamus, veris existentibus narratis, monialibus exponentibus prædictis, ut novum mo-


Tenor concessionis

nasterium extra mœnia civitatis præfæctæ erigere, ibique etiam per aliquod anni tempus, prævia tamen tua licentia permanere libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate Nostra apostolica pro tuo arbitrio, et conscientia indulgeas; ita tamen, ut in accessu et recessu in curru incedant sine comitatu, quam personarum quotidiano servitio monasterii addictarum, et vicarii in spiritualibus generalis, vel alterius prohi, et prudentis sacerdotis a te destinandi, et præter ecclesiarum visitationem, et moram in allocutoriis aliorum monasteriorum, non divertant, nec accedant ad alias particulares domos etiam nobilium ipsarum monia-

lium consanguineorum, a virorum frequentia se abstineant, publicis spectaculis non intersint, sed eam servant modestiam, quæ Deo sacratas virgines decet, et cum aliis canthelis per te juxta opportunitatem præscribendis.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dicti monasterii etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima secunda januarii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno septimo.

Derogatio contrariorum.



PIUS VI.

ANNO OCTAVO



CCCLXIII.

Dat. die
23 februarii
1782
Anno VIII.

Concessio indulgentiæ plenariæ assequendæ ab eis, qui die quo habebitur capitulum generale clericorum regularium congregationis sancti Pauli Decollati Barnabitarum visitaverint aliquam ex ecclesiis ordinis ejusdem.

Pius PP. VI.

Universis Christifidelibus
præsentes literas inspecturis
salutem,
et apostolicam benedictionem.

Ratio concessio-
nis.

§. 1. Cum sicut accepimus capitulum generale clericorum regularium congregationis s. Pauli Decollati Barnabitarum nuncupatorum in ecclesia, seu domo clericorum ejusdem congregationis sanctorum Caroli, et Blasii ad Catinarios nuncupat. de urbe feria secunda post dominicam tertiam post Pascha, benedicente Domino, celebrandum sit; Nos, ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam Christifidelium devotionem, et animarum salutem cœlestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti.

Tenor concessio-
nis.

§. 2. Omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione reffectis, qui præfatam, vel aliquam ex ecclesiis domorum clericorum regularium congregationis hujusmodi ubicumque existen., dic, quo capitulum generale hujusmodi incohabitur, ac singulis actualis illius celebrationis diebus devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac s. matris Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat omnium pecca-

torum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris.

§. 3. Volumus autem, ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, præsentibus nullæ sint, quodque præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu procuratoris generalis ejusdem congregationis subscriptis, et sigillo prædictæ congregationis munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ adhiberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud s. Petrum sub annulo piscatoris die xxiii. februarii MDCCLXXXII., pontificatus Nostri anno octavo.

Fides habenda transumptis, et derogatio contrarium.

CCCLXIV.

Dat. die
25. februarii
1782
Anno VIII.

Acta a Sanctissimo causa sui itineris
Vindobonensis.

ALLOCUTIO

HABITA IN CONSISTORIO SECRETO

Die xxv. februarii MDCCLXXXII.

Venerabiles Fratres

§. 1. Postulat a Nobis hoc tempore apostolici ministerii ratio, ut Vindobonam proficiscamur; quod iter cum propediem in Domino suscepturi simus, a vobisque vv. ff. aliquod per tempus

Exponit necessitatem Vindobonam sese conferendi.

abfuturi, voluntatem hanc Nostram vobiscum, et cum amplissimo vestro collegio communicamus, ut singularis Noster in ipsum amor, mutuaque animorum conjunctio a Nobis efflagitat.

Explicat eursolus profici-satur.

§. 2. Quo officio dum erga vos studiose fungimur, illud etiam, ne ignoretis, adjungimus, quam ob causam neminem ex vobis in hujus itineris Nostri, laborisque societatem assumamus; primum quidem parvo Nos usuros apparatus, comitatuque in ecclesiasticæ personæ modum jam declaravimus: deinde id omne quodcumque subeundum erit incommodi, in Nosmet ipsos tantummodo suscipere pro imposita Nobis sollicitudine statuimus: demum perdifficilis, ac perquam ingrata Nobis esset paucorum electio, cæterorum vero quædam, ut videri posset, rejectio, cum pari simus in singulos ex vobis studio, existimatione, atque amore propensi.

Declarat nihil innovandum in urbe esse, causa sui discessus.

§. 3. Certiores porro vos facimus vv. ff. datas a Nobis esse peculiare in forma Brevis literas, in iisque decretum ac declaratum, curiam, et causarum audientiam una cum omnibus Nostri, et sanctæ hujus Sedis administris post Nostrum ex urbe discessum in eo statu actuque, quo nunc sunt, remansuras, iisque per Nostrum chirographum concessas esse facultates Nobis reservatas, cum certi plane simus pro perspecta cujusque fide neminem iis esse abusurum.

Quomodo in casu mortis sue sit procedendum constituit.

§. 4. Cumque moriendi necessitatem omnibus impositam, diemque mortis incertam esse, ac quotidiana humanæ vitæ imminere pericula consideremus, nequaquam item prætermittendum duximus, ut pontificia comitia, si quid absentibus Nobis humanitus acciderit, Romæ habenda sanciremus. Quod reliquum est, a vobis vehementer petimus ac flagitamus, ut qua semper fuistis in Nos voluntate, eandem nunc præcipue exhibeatis, nosque absentes multo enixius omnipotenti Deo, ac Domino Nostro Jesu Christo, ejusque gloriosissimæ virgini matri, ac beato apostolo Petro commendare non intermittatis, iisque iter Nostrum prosequamini votis, ut suscepta hujusmodi consilia rata esse Deo juvante possint, utque incommoda hæc, laboresque Nostros optatissimus exitus per illius miserationem consequatur.

HOMILIA

Habita inter missarum solemnia in metropolitana ecclesia Vindobonensi.

*Die Dominica Resurrectionis
Domini Nostri Jesu Christi
xxxi. martii MDCCLXXXII.*

§. 1. **G**loriosa Domini Nostri Jesu Christi Resurrectio, fidei nostræ præstitit documentum, ut corporum resurrectionem in se credant membra, quæ præcessit in capite; ac corruptibile corpus, mutabile per ætates, per defectiones, absortis per mortem cupiditatibus, et ærumnis, induat immortalitatem. = Quam enim causam moriendi Christus habuisset, nisi habuisset et causam resurgendi? et si Nobis non resurrexit, utique non resurrexit, qui sibi cur resurgeret, non habebat. (1) = De matre traxit, quod mortem subiit, a patre detulit, quod mortuum suscitavit. Abdita erat in carne præsentia majestatis, et in carnis infirmitate virtus latebat divinitatis. Ineffabile hoc donum tuit, ac idcirco exultet caro nostra, quæ vere terra est, sed glorificata per Christum quamdam divinitatis societatem emeruit: ac morte a Nobis depulsa, infernus tyrannicam dominationem amisit, et humanum genus jam peccati lege prædamnatum dono gratiæ regenerari docetur. Credatur plane resurrectionis nostræ dogma ex oraculis prophetarum, ex evangelio, ex Christi Domini exemplis, qui Lazarum clamavit ex monumento, qui adolescentem matri viduæ restituit, qui archisynagogi filiam ad vitam revocavit, ut futuræ resurrectionis veritatem roboraret. Erubescant igitur et confundantur, qui audacter etiam hodie veritatem Dominicæ, et nostræ resurrectionis (ut plures fortasse vestrum non latent) in dubium revocare, et lacessere non verentur. Nam dum student divina consilia terreno sensu detorquere, misere desipiunt, et juxta sermonem propheticum abominabiles facti sunt in studiis suis. Desinant illi propterea, se in Ecclesia nobiscum esse gloriari, quoniam in congregatione sanctorum post resurrectionem esse non poterant.

Explicat quid misterii præferat gloriosa D. N. J. C. resurrectio.

(1) *S. Ambros. de fide resurrection. num. 90. et 102. tom. 4. oper. edit. Venet. 1751. pag. 227. et 231.*

Explicantur
beneficia par-
ta a dominica
resurrectione.

§. 2. Audiant Nos modo filii sæcu-
li, audiant paleæ in mystica area Ec-
clesiæ cum granis commixtæ; quod si
Nos audient, paleæ amplius non erunt.
Elegit enim Deus per os Nostrum audi-
re gentes verbum evangelii, et credere.
Jesus Christus Dei filius universam mun-
di faciem diabolicis impietatibus in-
quinatam divino immaculati corporis sui
cruore deterisit. Vos igitur agnita fidei
nostræ veritate, rejectisque magistrorum
impietatis deliriis, carnis resurrectio-
nem simplicitate credite parvulorum,
qui divinæ voluntati non parant argu-
menta, sed fidem; jam nunc animum
illuc intendite ad capienda, et tenenda
dona gloriæ Jesu Christi, ut fides vi-
tam vestram muniat, atque a fide vita
non discrepet. Propterea, dilectissimi,
gloriamur munere Dominicæ passionis,
quæ Nos in salutem, et in jus paternæ
pietatis vindicavit. Plurima quidem a
Nobis explicanda essent mysteria Domi-
nicæ resurrectionis, quemadmodum
Christus Deus, qui a patre non reces-
sit, in utero carnem acceperit, mor-
tuisque sit, et de sepulchro surrexerit:
quid sibi velit adventus mulierum ad
monumentum: quid terræmotus ma-
gnus: quid angeli descensus: quid re-
volutio lapidis, aliaque plura, quæ tum
vetera, tum nova mysteria complectun-
tur; at nimis sermo procederet, iisque
exponendis pro temporis angustia pro-
hibemur. Satis quidem est, dilectissi-
mi, vos monuisse, quod hodie fides
Ecclesiæ confirmata est in Christo, et si
in Adam omnes moriuntur, ita et in
illo omnes vivificabuntur. Si olim in
Aegypto per agni victimam paschale sa-
cramentum mystice peragebatur, nunc
per evangelium, divinæ resurrectionis
dies celebratur. Illic ovis de ovili, hic
ipse pastor immolatur. Hinc tenebrosa
judæorum turba, quæ crucis virtutem
enervare, ac opus salutis imperfectum
reddere satagebat, redemptorem insti-
gabatur, ut de cruce descenderet. Sed ip-
se tempus patiendi complere voluit, quo
passio consumeretur, ut Nobis docu-
menta relinqueret, non esse tempus pœ-
nitentiæ interceptiendum, nec denuo ad
sæculi delicias revertendum. Hinc in
hodierna s. evangelii lectione, non so-
lum annunciatur, quod Christus resur-
rexit, sed additur = Non est hic, ecce
locus ubi posuerunt eum = ut nos in-
strueremur, quod vere non resurgit,
qui adhuc permanet, ubi mortuus fue-
rat, neque qui in id amat recidere,
unde surrexit.

Quomodo sint
a fidelibus col.

§. 3. Oportet in cruce nostra per-

severare, donec requiescamus a labo-
ribus nostris, neque retro, et in ter-
ram Aegypti respicere fas est, ne pe-
des per compunctionem lotos iterum
inquinemus. Et sicut Redemptor noster
prodesse, ac placere Nobis moriendo
voluit, ita nostrum est ei non displi-
cere vivendo. Ne terreant vos quæso
actæ jam vitæ inquinamenta. Etenim
vel unius meritum confessionis cuncta
latronis rogantis scelera dispunxit, in
quo uberior fuit gratia, quam preca-
tio. Nemo propterea esse debet, qui de
misericordia, et gratia desperet, mo-
do repudiatis erroribus fides latronis
succedat. Bonus pastor venit ad colles
et montes, ut ovem errantem inveni-
ret. Eam vero cum invenit, iisdem sub-
vexit humeris, quibus et crucis lignum
sustulit, eoque in ordine colloavit, ubi
aliæ erant, quæ nunquam ab ovili de-
sciverant. Nonne ipse magister est, qui
pacem discipulo proditori non nega-
vit? Se enim ostendit, ut Deum ad re-
mittendum, ut sponsam ad amandum,
ut agnum ad expiandum. Sanguinem
dedit in redemptionem, ei simul aquam
effudit de latere suo in ablutioem. Ita
sanguis redemit, ut peccatum non re-
gnet in corpore nostro, et sic aqua
abluit a peccatis, quæ autem commi-
simus. Sacrilegum plane facinus esset,
si pœnitentia vestra ex quadam simu-
latione, et sola temporis procederet con-
suetudine, quia irrisor esset, et non
pœnitens, qui ea adhuc agere perge-
ret, quæ flere non desinit. Aliter dies
hæc reconciliationis et pacis, in ruinam
et perniciem vestram verteretur; vos-
que procul dubio socii Judæ efficeremini,
in quem satanas intravit post
bucellam. Eos tamen, qui per fragili-
tatem sæpe in multis offendunt, fre-
quenti oportet contritione, et ablutioem
reparari. Quemadmodum Elisæus præ-
cepit Nahamano leproso, ut septies in
Jordane mergeretur, atque ita munda-
tus a lepra convalesceret.

§. 4. Tota ergo mentis acie ad il-
lustre resurrectionis trophæum inten-
dite, ac per veram compunctionem omne
antiquæ cupiditatis vestigium abstergi-
te, ne quod donavit Dei gratia, dia-
boli furetur invidia. Ascendite filii per
humilitatem ad sublimia; nam qui ali-
ter pergit, ruit potius, quam ascendit.
Nunc denique Pascha celebrabitur, si
sensus vestri Dominicum panem redo-
lentes, nulla dæmonis aspersione coa-
lescant, et nullæ malarum cogitatio-
num tenebræ in cordibus vestris tanti
sacramenti lumen obambulent. Nemo

ligendi fru-
ctus dominicæ
resurrectionis
ostenditur.

Quomodo Pas-
cha sit cele-
brandum de-
claratur.

enim potest cum diabolo scelerum habere consortium, simulque mysterium sanctitatis celebrare cum Christo. Curramus itaque per viam mandatorum, qua ab eo trahimur, et oculi nostri sint semper ad Dominum, ut ipse de laqueo evellat pedes nostros. Gaudemus vos excitasse ad digne suscipiendas observationes sanctas, a quibus totum pendet opus salutis animarum. Sed monere simul non desinimus, ut hodiernam lætitiã cum mœrore jungatis, ut mœror sit pro peccatis, lætitiã pro parata æterna jucunditate. Jam vero anima Nostra conglutinata est animabus vestris, et pares animos fecit paritas charitatis, ut sic vobiscum in cœlesti gloria constituamur. Quod Deus concedat per Jesum Christum Dominum Nostrum.

Allocutio habita in publico consistorio
Vindobonæ in aula imperiali

Die xix. aprilis MDCCLXXXII.

Laudes imperatoris, et grati animi significatio.

§. 1. Antequam consistoriali huic actioni finem imponamus, quæ latere neminem oportet, ex hoc loco præterire silentio nolumus. Gratum quippe Nobis fuit, imperatoriam majestatem, quam semper magni fecimus, coram iatneri, ipsumque Cæsarem peramanter complecti. Pro muneris Nostris ratione sæpe eum alloquuti sumus, et plurimum in eo urbanitatis, qua Nos Augusto domicilio suo honorifice excepit, et liberali quotidie officio habuit, singularem quoque in Deum devotionem, præstantiam ingenii, summumque in rebus agendis studium admirari debuimus. Neque minori solatio paternum animum Nostrum erexit pietas et religio, quam in splendida hac urbe, et populis in itinere Nobis occurrentibus sartam incorruptamque manere cognovimus. Quare non modo eam laudare, sed assiduis etiam orationibus precibusque Nostris fovere nunquam prætermittimus. Imo Deum optimum maximum vehementer obsecramus, ut qui ad se tendentes non deserit, eos in sancto proposito confirmet, ac uberi cœlestium benedictionum rore perfundat.

Deputatorum a senatu Augustano

Ad sanctissimum dominum nostrum PP.

Oratio

Habita die secunda maii MDCCLXXXII.

Beatissime Pater

ac princeps potentissime.

Lustrã sex, et septem effluxere secula, ex quo Augustæ contigit adorare sua intra mœnia summum pontificem Leonem IX. : hodie Pium sextum Nobis venerari licuisse sera invidet postestas, utrumque sidus Romanæ Sedis præstantissimum, utrumque sanctum, utrumque amicum Cæsaris, amorem principum, admirationem orbis, supremo Christi in terris vicario, et principi potentissimo congruos exhibendo honores, et profundissimam manifestando lætitiã longissime impares, in serenissimi electoris, et archipræsulis Trevirensis, et episcopi Augustani pietatem, munificentiam, et facultates principes se devotissime reponentes duumviri, consules, et senatus, domini, ac superiores nostri, injuoxere nobis, ut ad pedes Sanctitatis et celsitudinis vestræ provoluti, gratias pro gloriosissimo adventu in Augustani persolvamus humillimas, subjectionem profitemur fidelissimam, et venerationem submississimam, simulque dona pro more status summis destinata regibus offeramus, ac pro inconcussa in longævitate salute, pro omnimoda felicitate principali, pro gloria supereminenti, et tranquillitate, et incremento utriusque regni votis concludamus obsequiosissimis, devotissimis, humillimis, benedictionem apostolicam, summam gratiam, et clementiam in universos cum senatu cives submississime exorantes.

Responsio

Ad Augustanos deputatos

Peregriam obsequii vestri significationem libenter intelleximus, et grato animo accipimus. Nostris huc accessus ratio ex repetitis officiis eximii principis electoris Trevirensis episcopi vestri processit, qui ob maximas virtutes suas, præclaraque in Romanam cathedram, et in Nos merita, est sane Nobis, uti debet esse, carissimus: ejusque Nos idcirco dignitatis ac am-

K k k

plitudinis plurimam semper rationem habebimus.

Jucundum quoque fuit inspicere florentissimam hanc urbem pulcherrimorum ædificiorum frequentia, commerciique opportunitate conspicuam. Jam in ipsa gratiarum actione, quas vobis referimus pro hoc luculento officio vestro, proque donis a statu decretis Deum Optimum Maximum precamur, ut qui sunt cives et domestici Dei, in ejus cultu cum fervore concrecant; qui vero sunt hospites, ad advenæ, spiritu suæ claritatis illustrentur, et in viam salutis adducantur, (1) ut Nos æque omnes complecti gaudeamus.

Allucutio

Habita in sacrario ecclesiæ
archiepiscopalis Ferrariensis

Die xxii. maii MDCCLXXXII.

Venerabiles fratres.

Declaratio pro
vectionis ad
cardinalatum
Alexandri de
Matthæis ar-
chiepiscopi
Ferrariensis.

§. 1. In consistorio secreto, quod habuimus in palatio Quirinali die xii. julii MDCCLXXIX., duos creavimus S. R. E. presbyteros cardinales, quorum unum tunc enunciavimus cardinalem Franciscum Herzan: alterum vero in pectore reservavimus arbitrio Nostro quandocumque declarandum, isque fuit Alexander De Matthæis archiepiscopus Ferrariensis. Tot sunt spectata ipsius merita, quibus per quinquennium, et ultra Ferrariæ diœcesim mirifica probitate, prudentia, charitateque gubernat, ut diutius ab incerto inclinantis vitæ Nostræ progressu pendere non debeat ipsi decreta ad cardinalatum pro vectio. Quare transitus Noster per hanc civitatem opportunam præbet occasionem, ut ad gloriam omnipotentis Dei, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ utilitatem, ac decus, palam evulgemus, et publicemus ejus adlectionem in amplissimum fraternitatum vestrarum collegium.

(1) *Quas hospitum, et advenarum voces beatus Paulus apostolus in epist. ad Ephes. cap. 2. applicuit Judæis, et gentilibus ante receptum evangelium, extendunt ss. patres ad omnes, qui cœlestem civitatem non sunt assequuturi, ut s. Joannes Chrysostom. Homil. 6. liter. b in eadem epist. Theophilact. ibid. cap. 2. num. 19.*

Quid vobis videtur?

Auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, ac Nostra declaramus S. R. E. presbyterum cardinalem præfatum Alexandrum De Matthæis cum derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠, et Filii ✠, et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Homilia

Habita die xxviii. maij MDCCLXXXII.

In consecratione ecclesiæ cathedralis
Corneliensis.

§. 1. Si cathedralis ecclesia, quum proprius consecratur episcopus, tota festiva, et compta procedit, ac vario sese decorans ornatu, lætitiâ producit in conspectum omnium filiorum suorum, ut eximius doctor Chrysologus vester commemorat: (1) jam hodie ipsa, dilectissimi, longe majori exultat gaudio: quoniam non sponsi, neque filii, germinisque sui consecratio peragitur, sed proprius ejus natalis dies delebratur. Quare multo potiori ratione nunc plenum amoris sinum aperit, maternos extendit amplexus, ac divinis in canticis psallit, ut omnes ad congaudendum sibi gremio charitatis includat.

Proemium.

§. 2. Atque hic opportunum videtur, ut in memoriam vobis revoceamus, qui vetusti hujus templi status fuerit, plane angusti, et squallidi, ut tanto magis percipiatis, quam splendidam modo, ac decoram in faciem abjecta jam vetustate conversum sit. Seculo duodecimo Heuricus episcopus hujus nominis secundus ecclesiam catholicam Corneliensem a proximo sancti Cassiani oppido ad novam transtulit civitatem. Episcopus vero Sinibaldus die xxiv. octobris anni MCCLXXI. eam solemniter consecravit in honorem ejusdem s. martyris, de cujus origine, et episcopatu difficiles repeti quæstiones audivimus in civitate Brixiniensi, quum ibi a Germania reduces in episcopio consisteremus. Ab eo seculo templum sæpe reparatum, auctumque fuerat, et præsertim a tribus episcopis civibus Nostris Jacobo nimirum Passarella, qui sacrarium adjecit, et turrim campanariam absolvit, atque a Hieronymo cardinali Dandino, qui magnum fornicem,

Memoratur vetustus status templi, et illius novissima reedificatio.

(1) *Serm. 130. edit. Augst. Vindlic. 1758.*

quo tota ecclesia tegebatur, superimponendum curavit, addiditque ornamenta choro, quæ postea Anastasius Ubertus ejus fratris filius, et in episcopatu ex resignatione successor, perfecit. Nihilominus pro antiquitate, ac injuria temporis ad deformitatem fere pervenerat. Qua de re alter Cæsenas, qui vester nunc adest episcopus, animo roboratus vetustum templum solo æquandum, ac novum in ampliorem elegantioremq; formam extruendum a fundamentis constituit. Nobile, ac sumptuosum opus auspiciatissime incæpit, idemq; numeris omnibus absolvit. Alii prædecessores sui eidem operi manus admoveere fortasse cogitarunt. Sed illud vidimus contigisse, quod accidit Davidi, qui ductus sola quadam religiosa cogitatione, cæpit moveri, ut Altissimo domum ædificaret in terris, sed gloria operis reservata fuit regio filio Salomoni. Hinc jure quodam proprio consecrari hæc a Nobis debuit ecclesia, tanquam opus illius, quicum non modo patria, sed sanguinis necessitudinæ conjuncti sumus.

A templi præstantia argumentum sumit pontifex, ut ad cultum augendum fideles incendat.

§. 5. Advertite ergo animum ad novum ejus fulgentem statum, qui sanctitatem spirat, vosque excitat, ut a terrenis rebus ad abstracta ad cœlestia rapiamini. Hic, ait Chrysostomus, prophætæ clamant, hic apostoli evangelium prædicant, hic Christus in medio stat, hic pater suscipit, quæ fiunt, hic Spiritus Sanctus lætitiâ suam impertit. Templum enim de lignis, et lapidibus est ædificatum, sed ut templa Dei viventis ibi congregentur; quoniam non solum in manufactis habitat Deus, sed magis in anima ad sui imaginem manu ipsius artificis condita. Si igitur templum Dei esse meruistis, frequenter ad lapideam hanc ecclesiam convenite, ut animas vestras insimul consecretis; exaudiet enim Deus orantes in loco isto. Non itaque perraro ad eam accedere, nec solum quando prurientes voces, ac bene sonantia perstrepuunt instrumenta, vel quando major populi est frequentia, ut ab aliis videamini, aut venustas formas conspiciatis. Audite Chrysologum clamantem: Quid est, quod ecclesiam mane nolumus intrare: quid est, quod matutina prece totius diei custodiam nolumus postulare: quid est, quod homini adstare toto tempore libet, et Deo adstare, nec puncto libet? (1) Absint

a vobis detractiones, fastus, immodestitæ, conserti sermones, ne templa vestra profanetis. Fœminæ vero, quæ sæpe in ecclesiis immorantur, ut seducant, primæ currant ad lacrymas, quæ priores cucurrerunt ad lapsum; sequantur exemplum matris divi Gregorii Nazianzeni, (1) in qua tantus pietatis, et devotionis fervor est inventus » ut in » sacris conventibus nunquam illius vox » audita sit, necessaria tantum, et mystica excepta . . . Nunquam venerandæ mensæ terga obverterit, nec in » divinum pavementum expuerit » Veniet ad vos Redemptor noster mille angelorum cohortibus circumdatus, ut vos pascat, et carnibus suis nutriet; occurrere illi in templo, ac in ipso statim ingressu supplices orate, ut suo semper cultui reservemini, et misericordiæ suæ aquis vos abluat, nihilque insideat, quod divinam dedecet majestatem. Cavete, ne murmur quidem audiatur lamentabilis vocis, quæ per prophetam Jeremiam insonuit » Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera » multa? » et tamen oculi Domini semper aperti sunt, et ad humilium preces aures erectæ: hic pauper intrabit, et Dominus sublevabit inopiam: accedet afflictus, et consolabitur: hic elationis spiritus debellabitur: hic iracundiæ calor moderabitur: hic æstus incontinentiæ temperabitur: et quid orantibus non dabit Dominus, eloquitur vester Chrysologus, qui seipsum non petentibus dedit, aut in respondendo quam faciet moram, qui in dictandis precibus vota supplicum sic prævenit? (2) Sed si surdæ factæ sunt aures ejus, vos eas oclusistis, quia non disciplina humilitatis, et timoris, sed iuffato corde postulastis. Atque ut jam hic cetera prætereamus, illud tamen repetere, vosque in Domino hortari non desinimus, ut speciosam hanc ecclesiam diligatis ea charitate, qua eam dilexit Chrysologus vester, qui professus est » omnibus quidem ecclesiis veneratio- » nem, et fidelissimam me debere servitutem profiteor, sed Corneliensi ecclisæ inservire peculiariter, ipsius » amore compellor; Cornelius namque » beatissimæ memoriæ pater mihi fuit, » ipse me per evangelium genuit, ipse » pius piissime enutrivit, ipse sanctus

(1) *Orat. 19. in funer. patris num. 10. tom. I.*

(2) *Serm. 67.*

(1) *Serm. 45.*

Bull. Rom. Tom. VI.

» sancta instituit servitute; ipse sacris
 » obtulit, et consecravat altaribus, et
 » ideo mihi clarum et colendum mi-
 » rabile Cornelii nomen: amor ergo
 » me compellit Corneliensis ecclesie
 » desideriis desideranter occurrere. (1)
 Nonne et vos paria recepistis beneficia?
 Inspicite sacrum lavacrum, quo rege-
 nerati fuistis ad gratiam: tribunalia pœ-
 nitentiæ, quibus vos Deus suscitavit per
 veniam: altaria, in quibus hostia salu-
 tularis fuit pro vobis oblata; cathedram
 veritatis, e qua cœlestis doctrinæ pa-
 bulo fuistis enutriti; sepulchra majo-
 rum, quibus mortis pavor reddidit futu-
 ræ vitæ securitatem; civium vestro-
 rum Chrysologi, Maurelii, Projecti,
 et Donati exuvias, qui preces, et vota
 vestra suis intercessionibus divinæ obtu-
 lerunt majestati. Ipsi acceptum referre
 vos oportet, quod inter novissimos co-
 cussæ terræ fragores, qui finitima loca,
 et civitates devastarunt, vos sola divina
 voce moniti, incolumes cum demibus
 vestris præservati fuistis. Quis ergo ex
 vobis amantissimæ matri, propitiis ci-
 vibus cultum non exhibebit humili cor-
 de, demissis oculis, gratisque gemiti-
 bus, ne supra vos renovetur exemplum
 severæ, promptæque vindictæ, quam
 Christus Dominus exercuit in Judaico
 templo contra ementes, et vendentes in
 illo? quod Deus avertat.

Homilia

Habita dominica II. post Pentecosten
 Die ii. junii MDCCLXXXII.

In consecratione ecclesie
 ffr. servorum B. M. V. Cæsena.

Exemplum
 Leonis IX. se-
 quitur ponti-
 fex ecclesiam
 consecrando
 in patria sua.

§. 1. Jucundo animo nacti sumus
 occasionem, quæ Nobis a Germania re-
 deuntibus oblata est, ecclesie hujus
 consecrandæ. Sed ea ad memoriam re-
 vocat, quod olim a sancto pontifice
 Leone nono, patria Dagsburgensi actum
 gestumque legimus. Is enim ab Andrea
 Pannoniæ rege obsecratus, ut Germa-
 niam peteret, quum per diversas illius
 regiones iter ageret, ecclesias consecra-
 vit. Admirabile tamen, plenumque pro-
 digio fuit, quod comitum Schwarze-
 burgiorum gratia accidisse narrat histo-
 ria. Nam ipsi obviam iverunt pontifi-
 ci, cum Norimbergam contenderet,
 eumque obtestati sunt, ut paullulum de-

clinaret a via ad sacellum ab iis in ho-
 norem sanctissimæ Crucis erectum, sa-
 cro ritu consecrandum; pontifex nihil
 digressus est; et proteusa manu, igno-
 que tantum crucis expresso, absens ec-
 clesiam consecravat. Verum pii funda-
 tores, minime cognito miraculo, ægre,
 dolesterque ferebant, Leonem noluisse
 designatum locum adire, atque eorum
 precibus annere. Sed, quum pontificis
 monitu reversi essent, non ambigua pe-
 ractæ consecrationis vestigia, notasque
 invenerunt. (2)

§. 2. Nos quoque a Germania re-
 duces, ecclesiam cathedralem Corneliæ-
 sem a dilecto filio Nostro Janne Caro-
 lo cardinali Baudi illius episcopo, et
 avunculo nostro amantissimo, ampli-
 ori et elegantiori forma ædificatam, con-
 secravimus. Nunc etiam templi hujus,
 quod genitorum, majorumque Nostro-
 rum cineres servat, ac ouper meliori
 structura restitutum est, parem con-
 secrationem debita solemnitate absolvi-
 mus. Quoniam vero pro infirmitate no-
 stra nec possumus, nec præsumimus
 imitari prodigia Leonis, qui absens, ut
 diximus, ac solo crucis nutu sacram
 ædem Schwarzeburgensem consecravat,
 propterea omnes adhibuimus ritus, et
 cæremônias, quæ pro religione, et di-
 gnitate rei præscriptæ sunt. Quare lu-
 strationes, benedictiones, inscriptiones,
 uctiones, orationes, cruces, aliaque
 plurima sacræ hujus actionis solemnia,
 quæ numeris omnibus perfecimus, exi-
 gere quodammodo videntur disertam
 latentium mysteriorum explanationem;
 ut a quo tempore incœperit apud chris-
 tianos sacrorum templorum pacificus
 usus, qualis fuerit eorum structura,
 quales exteriores et internæ partes,
 qualia ornamenta, de quibus verba fa-
 cere in promptu caderet; sed cum diutius
 super his foret immorandum, et
 fatigatio peractæ consecrationis Nos in
 longum progredi non sinit, et produ-
 cta a vobis adsistentia nimia vos gra-
 varet salietate; singula hæc cogimur
 præterire, et statim ad ea converti, quæ
 magis unicuique vestrum fructuosa exi-
 stent. Hinc memores vos esse volumus,
 quod terribilis, simulque amabilis est
 locus iste: terribilis quidem dæmoni-
 bus, quoniam hic consilia, viresque eo-
 rum confrioguntur; amabilis vero ho-
 miuibus, qui oculo misericordiæ a Deo

Suadet reve-
 rentiam do-
 mu Domini de-
 bitam recita-
 tis exemplis,
 aliisque adhi-
 bitis incita-
 mentis.

(1) *Serm. 165. om., ex præcit. edit.*

(2) *Matthæi Raderi Bavar. sancta vo-
 lum. 1. pag. 221. edit. Monach. 1704*

conspiciuntur in templo, ut præmia bonorum operum consequantur. Et quamquam Deus ubique sit, nulloque claudatur loco, miratus tamen fuit Jacob, quod vere Dominus est in loco isto, ubi angeli, et homines simul congregantur, ac proinde siguanter dicimus: Pater noster, qui es in cælis; veluti proprio, ac speciali modo illic præsentem se exhibet, non quidem ipse diversus, sed diversa distinguens: est ergo in templo, ut a vobis colatur, et preces suscipiat, ac consecret animas vestras. Hinc oportet, quod ei serviatis in veritate, et humilitate cordis, exprobanter annos præteritos in amaritudine animæ vestræ, si capitis orationes vestras ascendere in conspectu Dei, sicut ascenderunt illæ ceaturionis Italicæ cohortis. Non contendimus, ut apostolorum, et veterum christianorum fervorem exæquetis, qui conspirantibus animis effusa, et proluxa oratione, impense divinum implorabant auxilium, et quovis in loco, in solitudine, in cryptis, in carceribus sacras synaxes peragebant, donec gentiliam, et hæreticorum templa, vel diruta, vel sacra expiatione in Dei cultum commutata, novaque ædificata fuerant christianis adjuvantibus imperatoribus. Tot tantaque a vobis non exigimus, sed contendimus, ut si domum Dei decet sanctitudo, non præsumatis oscitanter, distracte, et tædio affecti sacris mysteriis interesse, præsertim si aliqua prolixitate sacræ actiones producatur, sed mentis vestræ aciem ecclesiasticis ritibus consocietis, ut fortiter armati, diabolicas retundatis tentationes, et aqua ablutis salutaris, quæ ex pretiosissimo ejus latere emanavit, spiritaliter impleatur in vobis, quod in parietibus visibiliter mox præcessit. Excitet exemplum magni imperatoris Constantini, quo coram sermonem habens Eusebius de Sepulchro Servatoris, cum semel ac bis rogavit, ut sedere vellet in regali solio, quod juxta positum erat, sed ipse reverenter obluens, semper stare voluit, licet prolixus fuisset sermo, respondens nefas esse, ubi de Deo instituta est oratio, remisse ac molliter auscultare. (1) Et tamen non in ecclesia, sed in imperiali aula sermo habebatur. Veremini ergo vos ipsos saltem propter Deum, qui vos dignatus est facere templum suum: non dissideat

quisquam a semet ipso; quoniam omne regnum in se ipsum divisum desolabitur, et domus supra domum cadet, nec intrabit Christus, ubi fuerint parietes inclinati, et maceræ depulsæ: vigilant angeli ad custodiam, ut muros defensent, et simul eos, qui murorum ambitu continentur, ut viriliter in tabernaculis militent, et deinde suaviter in atriis requiescant; in atriis illis, in quibus amœna jucunditate fovendi, recipiuntur excentes, ut illic sint gloriosi, si hic fuerint victoriosi. Igitur festivis gaudiis hanc diem honorate, quia per hujus templi dedicationem vos quoque dedicati estis, et in proprios a Deo assumpti ostendente, quam sollicitus sit vestri, et quanta sit ei cura de vobis, cum ipsius dignatione, non vestra dignitate sitis quicquid estis. Quærite domum Dei, quærite sponsam ejus, quærite templum per pœnitentiæ lacrymas, per puritatem conscientiæ, per humilitatis reverentiam: domus Dei mysticus portus est; nude si casuum fluctibus, et undis vitæ corruptibilis agitamini, in sola portus soliditate invenietis tranquillitatem. Amen.

A L L O C U T I O

Habita in consistorio secreto

Die *xliii. septembris MDCCLXXXII.*

Venerabiles fratres

§. 1. **C**um essemus Vindobonam profecturi, vobiscum xv. ff. et cum amplissimo collegio vestro ea communicavimus, quæ et tempus, et mutua animorum Nostrorum conjunctio postulabat: nunc, postquam illinc sumus incolumes Dei beneficio reversi, nihil Nobis jucundius esse profiteamur, quam vos una congregatos alloqui, ac vobiscum singularis amoris Nostris officiis perfungi. Quibus in peragendis, ne desiderio vestro deesse videamur, exponere breviter hic aggredimur et itineris Nostris seriem, et actorum rationem.

§. 2. Statueramus jam tum, ut notis, parvo apparatu comitatuque uti, nec nisi ecclesiasticæ personæ modum ubique relinere; sed hunc Nostrum in discessu, progressu, redituque modicum cultum multo splendidiorem pietas populorum ad Nos concurrentium, quacumque pergebamus effecerat. Atque hic ut prætereamus, quod vobis ignotum non est, cum per ditionem Nostram

Proemium.

Rationem exposuit cur in itinere modicum splendorem adhibuerit.

(1) *Euseb. in vit. Constantini lib. 4. cap. 33. oper. tom. 1.*

progredemur, quibus votis a pietate expressis Nostrum iter prosequeretur populorum multitudo; illud tantummodo dicimus, sacram hanc vel uti pompam mirifice visam esse augeri Bononiæ, cum illuc visendi Nostri causa Parmâ advenisset dilectissimus in Christo filius Noster Ferdinandus infans regius Hispaniarum. Siogelari gaudio, paterique animi sensu complexi sumus tam præstantem meritis, tamque prolixè Nobis ornaia suæ pietatis exhibentem officia principem. Una illic hospitati sumus, ex ejusque congressibus majorem in modum amplificatas in Nobis sensimus eundem amandi, ipsiusque virtutes prædicandi causas.

Quid Ferraria significaverit imperator refert.

§. 5. Ab eo digressi Ferrariam perreximus. Atque illic lux quædam primum Nostris visa est rebus affulgere; adiit enim Nos nobilis ab excubiis Cæsaris Hungarus, ab eoque literas reddidit, quibus ille a Nobis summopere contendebat, ut apud se Vindobonæ diversari, hospitarique vellemus. Tanti principis, in quem unice respiciebamus, humanissimæ huic voluntati deesse non potuimus, gratissimeque, quod tam luculenter exhibebat, accepimus.

Narrat quomodo a Venetorum republica honore prosecutus fuit.

§. 4. Pado deinde navigantes ad Venetorum fines advenimus, ibique perhonorifice excepti habitique, duos in urbe Claudiensi invenimus amplissimos viros s. Marci procuratores ab inelyia illa republica ad Nos legatos, Petrum Contarenum, et Aloisium Mauiniam, qui imposita sibi ab ipsa munera egregie nobiscum cumularent. Nihil non ab iis præstitum Nobis, curatumque, quod ad commoda dignitatemque Nostram conduceret, cum Nobis ubique, dum in reipublice ditione essemus, suis presentibus studiis, officiisque semper adfuissent. Progredientes obviam statim habuimus pluribus cum episcopis venerabilem fratrem Fridericum Mariam Venetiarum patriarcham Joannellium, cujus præsentia valde gavisi sumus, cum ejusdem virtutis meritorumque maximam semper fecerimus rationem. Cum propius Venetias præteriremus, innumerabiles ex urbe, finitimisque oppidis rumor exciverat, jamque conveniant regii ex urbe legati, plurimique e patriciorum, civiumque ordine, ac singulares Nobis observantiæ significationes certatim deferebant. Ubique magifice, splendideque excipiebamur, itinera omnia religiosissimi populi frequentia obsidebantur. Nobis aderant suis in diæcesibus episcopi, collegia, prætores, magistratus; omniumque in Nos

clarissimis iudiciis pietas efferebatur. Sic ab Utinensibus ad Goritiensium fines transivimus.

§. 5. Ingressis Goritiam legatus a Cæsare venit cum ipsius literis dilectus filius nobilis vir comes de Cobenzl pro-cancellarius aulæ et status, qui Nos per Austriacam ditionem Vindobonam usque cum honore deduceret; nihil illo diligentius, nihil studiosius ad Cæsaris mandatis, snoque in Nos muneri satisfaciendum. Nequaquam hic repetendum ducimus, quæ nodique ad Nos afflueret multitudo. Illud tamen præterire minime possumus, Labacum Carniolæ urbem cum advenissemus, accedentem ad Nos vidisse excepisseque dilectissimam in Christo filiam Nostram Mariam Annam Cæsaris germanam sororem Austriæ archiducissam, quæ illuc adventu suo præcesserat vicarii Christi colendi causa, eique pietatem suam præclaro hoc testimonio publice confirmandi.

Quomodo receptus fuerit in civitate Goritiæ.

§. 6. Illinc progressi, occurrentes - que ad Stupakum cardinali Migazzio Vindobonensi archiepiscopo, et regis oratoribus, qui obviam Vindobonâ officii causa prodierant, cum jam ab urbe decem prope leucis abessemus, ipsum ad Nos advenientem conspeximus carissimum in Christo filium Nostrum Josephum Cæsarem una cum dilectissimo in Christo filio Nostro Maximiliano ipsius fratre Austriæ archiduce, supremo Thentonicis ordinis magistro. Jucundissimus hic fuit, omnibusque mutui amoris significationibus cumulatissimus Noster occursum. Una statim cum Cæsare ejus in currum conscendimus, unaque, quod reliquum erat viæ, ita confecimus, ut omnibus, qui ex urbe turmatim effusdebantur, conjunctionis Nostræ spectaculum præberemus. Omnia populo conferia erant, maxima se in via cuكتورum ordinum multitudo stipaverat. Sic urbem ingressi sumus, sic ad imperiale devenimus palatium, ut illa progressio maximus quidam non jam Noster, sed ipsius religionis triumphus videretur. In suas ædes a Cæsare inducti confertas illas vidimus amplissimis quibusque viris, ac nobilitate, muneribusque conspicuis, qui ad honorem cultumque Nostrum convenerant. Statim cum tam splendido comitatu in amplum ejus regie sacellum processimus, Deoque solennes consentientibus omnium animis gratias, ac vota persolvimus. Nihil hoc hospitio magis licentius esse potuit, nihil illa urbe ob adventum huic Nostrum læ-

Item ad Stupakum.

tius, nihil iis diebus illic commorati sumus, illustrius. Quotidie plura in urbem ex omni non solum Germania, sed et Hungaria etiam, ac aliis ditioribus confluebant hominum millia, ut ab universæ Ecclesiæ pastore apostolicæ benedictionis munere ditarentur.

Quomodo sua studia publice patefecisset ipse Cæsar refert.

§. 7. Primus Noster egressus die festo Annunciationis fuit, quo adire fl. cappuccinorum templum volumus, illoque in sacello sacrum facere, quod est Cæsarum superstructum sepulchris, ac in eam tum ædem descendimus, ut ad ipsos Austriacorum principum cineres pro eorum animis exixas ad Deum preces effunderemus. Sæpe deinceps per urbem cum prodiremus, interdum nobiscum aderat Cæsar ipse, suaque in Nos studia palam præferbat, aderat crebro Maximilianus, ac Nobis ex animo omnia observantiæ, ac in sanctam hanc Sedem devotionis indicia publice exhibebat. Egregium certe in illo regio juvene virtutis ac religionis specimen coram agnovimus, ad eumque singulariter diligendum, laudandum, extollendum sumus inflammati. Quid de generosa illa nobilitate dicemus, quid de regis oratoribus, ceterisque magnorum principum administris, qui Nobis a suis regibus eximia amoris, studiorumque omnium officia deferebant? præstantes vero episcoporum, ac præsulum, qui plurimum Vindobonam convenerant, observantiæ in Nos sensus extabant.

Qui fuerint præcipui qui eum post Cæsarem coluerunt enumerat

§. 8. Inter hos præcipui in Nobis observandis colendisque semper fuere, qui ceteris ecclesiastica dignitate præstabant S. R. E. cardinales, quos tum primam conspeximus. Nam præter dilectos filios Nostros cardinales Migazzium, et Herzan, aderant illic collegæ vestri Leopoldus Ernestus de Firmian episcopus Passaviensis, et Josephus a Batthyana Strigoniensis archiepiscopus. Horum præclara cum extare de Nobis, ecclesiæque merita cognosceremus, eadem testimonio aliquo exornare cupientes, purpurei galeri insignia illorum capiti in publico consistorio in aula Cæsarea habito Nostri de more manibus, adstante Cæsare, imposuimus.

Quid de rebus ecclesiasticis constituerit expeit.

§. 9. Atque hic v. fratres cum plurimo vos flagrare desiderio arbitremur audiendi aliquid a Nobis, quod de gravissimis Nostri, Ecclesiæque rebus actum constitutumque cum Cæsarea majestate sit, expectationi huic vestræ, quoad nunc possumus, gratificabimur. Pene quotidie inter Nos una congregabamur, in iisque congressibus, etsi fa-

miliariter, amiceque, tamen summo animorum studio res utrinque tractabantur. Nihil a Nobis non libere aperteque prolatum, neque ulla in dicendo habitata, nisi apostolici muneris Nostri ratio, nihil quod ex Ecclesiæ jure, institutoque religionis esset, non a Nobis abductam, non ab illo pacate diligenterque auditum. Magnum ingenium Josephi Cæsaris, atque illa singularis, qua in Nos affectum conspiciebamus, humanitas et gratia, plurimum rebus a rationibus Nostri conferre, et consulere videbantur. Neque inanem hanc fuisse fiduciam Nostram profitemur. Quædam certe, eaque gravia ab ejus æquitate retulimus, ut jam ex pervulgatis ipsius mandatis constat. Quorundam vero si nondum exitum, at spem non mediocrem nobiscum reportavimus.

§. 10. Jam exactus mensis Nostræ Vindobonensis commorationis erat, cum inde discedendum Nobis esse statuimus. Ipso discessimus comitante Cæsare, unaque confectis aliquot passuum millibus, post amplexus, et mutuos intimi amoris pietatisque sensus ab illo sumus valde commodo concitatoque animo divulsi.

Refert circumstantias discesus.

§. 11. Nostrum istud iter in Bavariam, ac Monachium erat, quo Nos dilectissimus in Christo filius Noster Carolus Theodorus dux Baviaræ, et palatius elector amantissimo invitatu advocarat. Vix ejusdem fines attingimus, cum Nobis adfuerunt missi ab eo delecti viri, qui Nos ad ipsum deducerent; cumque quatuor prope leucas Monachio abessemus, ipsum Carolum Theodorum obviam Nobis, properantemque in complexum Nostrum conspeximus. Peractis inter Nos jucundissimis officiis, ejus conscendimus currum, unaque ad urbem illam et electorale palatium inter maximam populi multitudinem pervenimus. Illic splendidissimus planeque regius apparatus erat, sed etsi omnia videremus ad magnificentiam, ad religionem, Nostrique cultum ubique instructissima, nihil tamen Nostros tantopere oculos animumque commovebat, quam ipsa electoris præsentia, ipsa tam conspicua illius pietas, ac tam excellens in Nos studium, ut suo exemplo ceterorum animos magis adhuc in Nos pietate ac religione inflammaret. Quinque apud ipsum dies jucundissime, summoque cum honore transegitur, interea illuc ad Nos adveniente ven. fratre Clemente Wenceslao archiepiscopo, et electore Trevirensi, cujus cum maxima de Nobis antea extarent

Expouit quid ei obvenerit iter faciendo per Bavariam, ac Monachium

merita, eadem nunc præcipue confirmare visus est hoc in Nos officio singulari.

Quomodo Augusta Vindelicorum receptus fuerit laudat.

§. 12. Quod a Nobis ille summopere flagitabat, ad ipsius episcopatum, Augustam Vindelicorum, divertimus. Omnia ibidem pro hospitis dignitate, urbisque splendore, ac in Nos studio luculentissime peracta, Nobisque delata sunt, accedentibus illuc etiam amplissimis finitimarum ecclesiarum episcopis, atque abbatibus, et electoris in Nos, urbisque officia pro sua pietate cumulantibus. Ac tum recurrente sancti Pii V. festo die, in cathedrali templo solemniter adfuimus sacro, quod ab episcopo electore maxima est celebritate peractum: indeque ad vicinas episcopales ædes perreximus, in quibus olim die xxv. junii anni MDXXX., ducentis nimirum et quinquaginta duobus ab hinc annis, teterrima illa Augustana Lutheri confessio, cura et studio Philippi Melancthonis digesta, et expolita, coram Carolo V. imperatore, ejusque fratre Ferdinando rege, Johanne electore Saxonie, et eius filio Johanne Friderico, aliisque electoribus, ac principibus, et ordinibus imperii, Germanica lingua fuit per solemnem recitationem publicata. Ex amplo ipsarum ædium podio apostolicam Nos benedictionem immensæ multitudini in subjectum amplissimum forum collectæ, adstantibus episcopis, præsertim Constantiensi, principibusque, et exterorum principum legatis solemniter cæremonia impertivimus, incredibili exceptam animorum alacritate Nobiscum in Catholica unitate consentientium.

Quid peregerit cum Saxonum principe significat.

§. 13. Maximæ Saxonum principum jam a primis temporibus, nimirum a Joanne duce, in confessione Augustana partes erant, maximum ejus sustinendæ studium, quod deinceps publico etiam monumento declaravit Joannes Georgius dux, cum annum ejus confessionis secularem aureo numismate, sculta Joannis, suaque effigie, tanquam auctorum patronorumque, celebrasset. Nos itidem ob res in melius versas divinæ clementiæ gratias referentes cuso nuper numismate Nostro, quod festo principis apostolorum die distribui solet (1), perennem es-

se volumus peracti apud Augustanos sacri memoriam. Eo, ut diximus, sacro ad aram operatus est, Nobis adstantibus, optimus ex illa ipsa Saxonica nunc religiosissima familia princeps. Multam idem etiam partem in ceteris cæremoniis Nobiscum habuit, præsertimque Nostram plenariæ indulgentiæ concessionem ex illo aulæ podio evolvavit. Quis jam nunc propterea divinorum consiliorum rationem non maxime miretur, cum talem videat tanta cum religionis nostræ gloria iis ipsis in locis rerum gestarum commutationem? Eo inde animo discessimus, ut jucundissimum Nobis ac perhonorificum fuisse excursum illum palam testemur.

§. 14. Iterum in Adriaticam dittonem, Tirolensem scilicet comitatum, ingressi sumus, iterum a Cæsare literæ, iterum præsto fuit, qui Nos ad Italiam usque fines prosequeretur, vir cum nobilitate, tum humanitate præstans comes Strembergius. Cum Onnipote essemus, nihil Nobis potius fuit, quam ut alteram Cæsaris germanam sororem dilectissimam in Christo filiam Nostram Elisabetham Austriæ archiducissam salutarem, a qua certe plurima clarissimaque Nobis exhibita sunt præstantis animi, ac in Nos observantissimi pro sua religione testimonia. Inde Brixionium, inde Tridentum venimus, magnoque cum voluptate illud templum lustrare volumus, postremi concilii œumenici celebratione nobilissimum, ubi oimium difficillimis temporibus, quibus doctrinæ pravitate omnia polluebantur, præsulum tamen constantia fideque asserta confirmataque catholica fides omni ex parte fuit, servatumque Christi depositum ex sanctissimis illorum decretis incorruptum, ac optimis munita legibus Ecclesiæ disciplina.

Item in comitatu Tirolensi.

§. 15. In Italiam reduces per Roboretum ad Venetorum fines positam urbem, quæ cum maximis sua in Nos observantia cultuque certabat, Veronam pervenimus pro illius urbis dignitate accepti, ubi iterum obvios habuimus eosdem dilectos filios nobiles viros equites, et s. Marci procuratores, qui per

Quomodo in Veronæ civitate receptus fuerit declarat.

(1) Martinus V. usum induxit pontificiorum numismatum; quæ enim extant superiorum pontificum, posterius sunt ad eorum memoriam efformata.

Paulus II. eum usum multo frequentiore reddidit. Fundebantur illa primum, serius cudi cæpta. Clementem VIII., ac præsertim Paulum V. eadem constat quotannis renovasse, certisque temporibus distribuisse; quem morem successores omnes retinuerunt.

illam reipublicæ ditionem pergentibus publice Nobis officia exhiberent. Nihil illic omissum, quod ad Nostram decus, quod ad populi lætitiæ ample picque declarandam faceret. Inde Vicetiam, inde Patavium venimus ab iisdem procuratoribus deducti, convenientibus undique ad Nos urbium civibus, finitimisque populis, episcopis, prætoribus, quorum omnium cum numerum, tum religiosa in Nos studia maximo cum gaudio spectabamus. Omnia magnifice sumptuoseque peracta, omnia a Nobis, quæ in celebratissima illa urbe eminebant, lustrata, probata, collaudata.

Extollit honorificentias sibi paratas in principe reipublicæ urbe.

§. 16. Sed hæc pro ludere quodammodo videbantur iis, quæ in principe reipublicæ urbe ad Nostrum erant adventum comparata. Jam propinquabamus Venetiis, cum in insula s. Georgii in Alga occurrentem Nobis vidimus cum iuclyto suo collegio Venetarum ducem Paulum Reynerium, a quo perhonorifice excepti, cum eoque ac suis consensu amplo planeque regio navigio, illud æstuarium transmisisimus inter immensum cimbarum aquas prope obtegentiam numerum, magnoque populi concursu ad hospitium Nostrum apud ff. Prædicatores ad templum sanctorum Joannis, et Pauli cum amplissimo illo comitatu descendimus. Postridie cum ipso duce ad Nos revertente senatum universum, magistratusque amplissimos ad osculum, complexumque excepimus, adstantibus utrinque ad augendam rei majestatem cum ipso patriarcha quatuor et viginti episcopis, multisque spectatissimis viris; deinceps patritiis ceteris, ac nobilibus quamplurimis datus ad Nos conveniendos est aditus.

Laudes reipublicæ Venetarum recitantur.

§. 17. Nihil hic necesse esse arbitramur, ut quæ in illa paucorum dierum commoratione acta a Nobis, Nostrique causa ab illis sunt, memoremus, quæ templa, quæ ædificia inspecta, quæ cæremoniæ peractæ; illud universum dicimus, quæcumque antea de antiquissimæ illius reipublicæ, Venetorumque gloria, splendore, amplitudine unquam memoriæ tradita sunt, ea omnia Nostris tum oculis revera observari, cumulatissimeque ad eventum Nostrum decorandum conferri congerique videbantur. Ipsi tum reipublicæ gratulantes, tandem discessimus, dimissoque in pontificiæ ditionis finibus gratissimo procuratorum comitatu, urbem Nostram Ferrariam pervenimus.

Narrat Ferrariensem archiepiscopum S. R. E. cardinalem

§. 18. Aliqui Ferrariæ Nobiscum erant collegæ vestri S. R. E. cardinales, inter quos dilectus filius Noster Caro-

Bull. Rom. Tom. VI.

lus Victorius Amedeus cardinalis de Lanceis, qui illuc advenerat Nostrivisendi causa, unaque Nobis carissimi in Christo filii Nostrii Victorii Amedei Sardinæ regis illustris officia detulerat. Habere tum coram ipsis consistorium secretum voluimus in sacrario cathedralis ecclesiæ, in quo archiepiscopum Ferrariensem Alexandrum Matthæjum veris laudibus præstantem præulem pronunciamus in S. R. E. cardinalium collegium adlectum die xii. julii MDCCLXXIX., ac tum Nostrum in pectore reservatum. Hoc illi urbi gaudium, hoc amplæ illi ecclesiæ decus, hoc ipsi archiepiscopo, ut præmium virtutis atque incitamentum esset, libenter effecimus.

nalem declatavisse.

§. 19. Tum Bononiam adivimus, iterumque Nostrum conveniendi, suæque Nobis pietatis confirmandæ causa ad Nos Parma venientem complexi amantissimè sumus dilectissimum in Christo, deque Ecclesia meritissimum filium Nostrum Ferdinandum regium Hispaniarum infantem. Deinceps Foro Cornelii cum aliquot moraremur dies apud cardinalem episcopum avunculum Nostrum non jam quiescendi, sed agendi causa, ibidem consistorium publicum habuimus coram septem cardinalibus, in eoque cardinalem Matthæjum purpurei galeri honore decoravimus; tum novum illud cathedrale templum a fundamentis splendide nuper erectum maxima ipsius episcopi cura, veterique angusto ac squallido substitutum, adhibitis ecclesiæ cæremoniis per Nos ipsos consecravimus; quod etiam Cæsennæ in patria Nostra præstitimus servorum B. M. V. templo, parentum, majorumque Nostrorum cineres servanti. Tum illuc profecti paulum Anconam divertimus, novique illius portus molimina perlustravimus.

Eumque rubri galeri honore decoravisse, habito consistorio narrat.

§. 20. Denum idem, quo antea discesseramus, iter relegentes ad aliam hanc urbem Nostram salvi post quatuor pene menses Deo adjuvante pervenimus, ejusque clementiæ maximas, ac immortales egimus, semperque habebimus gratias, quod præsto Nobis cælesti ope præsidioque fuerit, curasque Nostras sua ipse virtute et gratia sublevarit.

Salvum ad urbem reversum esse gaudet.

§. 21. Quod a vobis, vv. fratres, in discessu Nostrum petieramus, ut iter consiliumque Nostrum vestris precationibus prosequeremini, quodque a vobis effectum esse, vestroque exemplo ab universa hac urbe lætantur, nunc itidem vos flagitamus, atque in Domino obsecramus, ut pari, quo cœpistis, studio insistere precibus apud

Preces ad cardinales porrectæ, ut precibus apud Deum ipsum commendent.

Deum vestris, religiosoque in Nos officio ne intermittatis, quo sua benignitate, quod illius ope inchoatum jam est, tandem ad ipsius gloriam, ad Ecclesie utilitatem, ad Cæsareæ majestatis laudem felicitatemque perficiatur.

Sanctissimi Domini Nostri

Pii

Divina providentia

Papæ Sexti

Itineris Vindobonensis diarium
a die 27 februarii
usque ad ejusdem in urbem reditum
die 13. junii 1782.

A Josepho Dini

Pontificiarum cæremoniaram præfecto descriptum, qui in eodem itinere sanctissimo semper adfuit; omissis iis ad repetitionem evitandam, quæ narrantur a Sanctitate Sua in allocutione habita in consistorio secreto die 23. septembris 1782.

Vindobonam profecturus summus pontifex, ac universalis catholicæ Ecclesie caput Pius Papa Sextus, antequam Roma discederet, ut suæ erga sanctos apostolos devotioni satisfaceret, die xxvi februarii feria III in Vaticanam basilicam descendit, et sacrum private celebravit in Vaticanis cryptis super aram, ubi sacræ exuviæ sanctorum apostolorum Petri, et Pauli inclusæ asservantur.

Eminentissimus cardinalis Columna almæ urbis vicarius peculiari notificatione ad omnes urbis ecclesias transmissa monuit, ut a prima itineris summi pontificis die usque ad prosperam exoptatum ejusdem ad urbem reditum in missis adderetur collecta pro pontifice itinerante; post missas conventuales preces pro itinerantibus recitarentur; ac insuper ut in ejusdem urbis ecclesiis juxta impressam notulam delectis unaquaque die sanctissimum Eucharistiæ sacramentum publicæ venerationi exponi deberet, ut fideles in iisdem convenientes preces ad Deum funderent pro felici summi pontificis itinere.

Die 27. februarii fer. IV. hor. 12. Sanctissimus Dominus Noster ad præfalam basilicam iterum descendit, et

ad aram, ubi s. Petri apostoli cathedra colitur, accessit, ibique missæ adstitit; qua expleta persolutis precibus ad implorandum a Deo auxilium pro felici itinere, ad sacrarium accessit, ubi celsissimos principes Paulum Petrowitium magnum Moschorum ducem, et Mariam Federovnam magnam ducissam benigne excepit, iisdemque gratos animi sui sensus aperuit, quod summo mane illuc accedere voluerint, cumulatissimas de hujusmodi humanitate gratias referens; aliquo interim temporis spatio ipsos allocutus se divisit, et ad basilicæ lateralem januam sanctæ Martæ nuncupatam accedens, ibi currum conscendit, ac in eodem admisit R. P. D. Franciscum Antonium Marcucci patriarcham Constantinopolitanum almæ urbis vicesgerentem, et Josephum Mariam Confessini Athenarum archiepiscopum, secretum eleemosynarium, qui a Sanctitate Sua, ut ipsum in itinere comitarentur, delecti fuerant. Reliquis autem comitatus, qui summum pontificem in itinere erat famulaturus, in insequentibus tribus curribus, et duobus cisiis eundem prosequutus fuit, ac per viam papalem nuncupatam progredientes, ad ecclesiam sanctæ Mariæ in Vallicella accesserunt, ubi summus pontifex sacrum templum ingressus, eum sanctissimum Sacramentum devote veneratus esset, ante aram sancto Philippo Nerio suæ erga eundem sanctum pietati morem gerens, sacras fudit preces; quibus expletis iterum currum conscendens, iter fuit prosequutus usque ad Utriculum, ubi primam fecit in nocte stationem, ibique exceptus fuit a Prospero Meloni episcopo Narniensi, Xaverio Marini episcopo Reatino, aliisque nobilibus viris, qui illuc adveniant, summo pontifici debitum obsequium exhibitori.

Die 28. februarii fer. V. audito sacro in privato sacello, persolutisque precibus pro felici itinere a Deo implorando, Sanctitas Sua hora circiter decimatertia currum conscendit progressurus cum suo comitatu Narniam versus, ubi ad cathedralem ecclesiam divertens ab episcopo Narniensi, una cum Antonio Leli suffraganeo episcopo ecclesie Sabinensis, et Angelo Jacoponi episcopo Amerino, ac universo Narniensi civitatis clero exceptus, eandem ecclesiam ingressus, ibidem coram augustissimo sanctissimæ Eucharistiæ sacramento publicæ adorationi exposito preces fudit, ac benedictioni cum eodem sanctissimo Sacramento a canonico archipresbytero

impertitæ adstitit; inde Fulginium antiquam Umbrorum civitatem hora vigesimaquarta advenit, rectaque divertit ad conventum ordinis sancti Augustini, ibi moram in nocte ducturus. Sauctitati suæ obsequium exhibere Cajetaus Zinnanni ejusdem civitatis episcopo, una cum Alexandro Maria Odoardi episcopo Perusino, Carolo Zangheri episcopo Assisiensi, Francisco Laurentio Massajoli episcopo Nucernino, Francisco Arrigonio, et Philippo Raffaelli præsidibus civitatum Perusinae, et Fabrianensis, capitulo, et magistratu Fulginatensi.

Die prima martii fer. VI. Sanctissimus Dominus Noster hora 11. cum dimidio in ecclesiam descendit, ubi sacro audito in sacrarium divertit, ut desideriis satisfaceret quamplurimum nobilium virorum, ac illustrium feminarum, quæ illuc ab aliis civitatibus convenerant, sanctissimos illius pedes deosculandi causa. Hora tandem 12 iter prosequutus est usque Tolentinum, quo hora 23. feliciter advenit, exceptus ad fores Ecclesiæ s. Nicolai Tolentinatis ab Andrea Minucci archiepiscopo Firmano, Dominico Spinucci episcopo Maceratensi, ac Dominico Prosperi episcopo Septempedano, una cum earundem civitatum præsidibus; ascenditque ad cubacula adnexi conventus pp. Augustinianorum pro Sauctitate Sua parata.

Die sabbathi 2. martii hora circiter 11. cum dimidio Sanctissimus Dominus Noster in ecclesiam descendit, ubi ad interius sacellum, in quo sacra sancti Nicolai a Tolentino brachia summa veneratione adservantur, accessit, ibique missa audita, prædictas sacras reliquias, quæ super altare expositæ conspiciebantur, veneratus, ac deoscolatus fuit. Quibus expletis, e conventu hora 12 cum dimidio discedens, iter prosequutus est usque Lauretum.

Circa horam 20. ejusdem diei feliciter Lauretum adveniens, ante Lauretanæ basilicæ fores e curru descendit, ibidem obsequiose exceptus ab em̄is cardinalibus Bufalino episcopo Anconitano, et Calcagnini episcopo Auximano, et Ciugulano, a Ciriaco Vecchioni ejusdem Lauretanæ, et Recinetensis ecclesiæ episcopo, Petro Paulo Leonardi episcopo Ausculano, Bartholomeo Bacher episcopo Cupræ Montanæ, Philippo Casoni Lauretanæ civitatis præside, Aloisio Gazzoli, Antonio Tomati, et Ferdinando Elephantutio civitatum Anconitanæ, Ausculanæ, et Firmanæ præsidibus, una cum magistratu, ac clero ejusdem ecclesiæ.

Bull. Rom. Tom. VI.

Basilicam ingressus, concinentibus cantoribus antiphonam *Ecce sacerdos magnus*, ad altare beatissimæ Virginis ab angelo salutatæ in media navis ejusdem basilicæ existens progressus, ibidem sanctissimam Dei Genitricem peculiari devotione veneratus, ad aram principem accessit, ubi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum adorans, benedictioni a canonico archidiacono claritatæ adstitit.

Expletis prædictis religiosis actibus, ad apostolicum palatium processit, ibique prædictos cardinales ad privatum colloquium admisit: cæterosque inde episcopos, præsides, magistratum, ac clerum ad pedis osculum excepit.

Hora 22. cum dimidio Sanctissimus Dominus Noster ad basilicam iterum descendit, in qua sacra ædes singulari studio ornata erat, innumeræque cereæ faces diligenti, ac politiori ordine undique dispositæ conspiciebantur.

Ante altare B.M.V. illico constitit, et cantores litanias in laudem ejusdem B.M.V. singulari concentu, modulatisque vocibus concinere, prout moris ibidem est quacumque sabbathi die recurrente.

His expletis sanctissimus pater sacram ingressus ædem, ibidem suæ erga beatam Virginem devotioni morem gessit.

Ad sacrarium inde divertens, in quo votiva donaria B.V.M. oblata adservantur, ibidem in sede jam parata compositus, innumeras nobiliores feminas, quæ illuc e vicinioribus civitatibus advenerant, ad pedis osculum admisit, quampluresque alii hujusmodi honore participes effecti fuere usque ad 24. diei horam.

Apostolicum inde palatium iterum repetens, magnum podium damascenis, ac villosis e serico pannis undique exornatum conscendit, ubi innumerum populum amplissimam illam plateam expletem pontificali benedictione donavit.

Die dominica 3. martii hora 13 Sanctitas Sua ad basilicam descendit, incruentum missæ sacrificium ad altare B.M.V. ab angelo salutatæ perfecturus, ut singulari populi multitudini, qui sacram basilicam mirum in modum summo mane undique occupaverat, devotioni satisfaceret. Expleto de more sacro, alteri itidem missæ adstitit.

Inde hora 16. iter prosequaturus Laureto discessit, et ad plainitiam, nuncupatam s. Lazzari, ad clivum Anco-

næ accedens, ibidem brevi temporis spatio commoratus, Senogalliam versus divertens hora 23. illuc pervenit, et ad ecclesiam ordiois servorum B.M.V. accedens, ibidem ab eño cardinali Bernardino Honorato episcopo Senogallien- si, et a Carolo Livizzani Urbinatensis provinciæ præside obsequiose exceptus, una cum Dominico Monti archiepiscopo Urbinatensi, Ubaldo Baldassini episcopo Æsino, Rocco Maria Barsanti episcopo Pisaren- si, Peregrino Consalvi episcopo Fanensi, et Francisco Cacharano Æsii præside, civitatis Senogallien- sis magistratu, aliisque nobilibus proceribus, qui illuc advenerant. Proximum conventum petens, ad cubicula pro Sanctitate Sua parata ascendit, ubi in proxima nocte subsistere decreverat.

Fer. II. die 4. martii, hora cir- citer 13. iter Fanum versus arripuit, ubi civitatis præses una cum magistratu Sanctitatem Suam obsequiose fuit prosequutus, et eminentissimum cardinalem Marcum Antonium Marcolini, qui in præfata civitate, ut suæ consuleret saluti, moram ducebat, benigne pariter excepit, longiusque cum eodem collocutus, permutatis equis ad Pisarensem civitatem recta perrexit, ibidem brevem traxit moram, populoque innumero benedictionem apostolicam exoptanti ex amplo palatii podio nobiliorem in modum exornato, fuit elargitus, Catholicam inde, antiquum et parvum in Romandiola suburbium, attigit, in historia ecclesiastica percelebrem ob episcoporum conventum, qui illuc ab Ariminensi concilio anno 359 habito secesserant, ut ab Arrianis episcopis segregati, sacra mysteria libere celebrare possent. Tandem hora 22. Arimium feliciter pervenit, ubi ab itinere quiescere decreverat. Ad ecclesiam s. Marini canonicorum regularium Lateranensium perrexit, ibique obviam habuit eñum cardinalem Aloisium Valenti Gonzaga Romandiolæ legationis præsidem, una cum Vincentio Ferretti episcopo Ariminensi, abbate generali, et canonicis regularibus monasterium incolentibus, magistratu, et primariis ejusdem civitatis nobilibus. Ecclesiam perpulchre exornatam summus pontifex illico adiit, monasterium inde ingressus, ad superiora cubicula perrexit.

Feria III. die 5. martii hora 13. summus pontifex curram conscendens, cum suo comitatu ad Cælibatarum collegium accessit, ubi ejusdem alumis ad pedis osculum exceptis, monasterio illustrato, et cum excellentissima domina

Olympia Braschi, quæ una est ex Cælibatis, altera germana sua sorore per aliquod temporis spatium colloquutus, discessit.

Cæsenam versus iter inde arripiens, illuc hora 18. cum dimidio pervenit, et ad ecclesiam ordiois servorum B. M. V. e curru descendit, obviumque habuit eminentissimum Joannem Carolum Bandi Forocorneliensium episcopum avunculum suum, et Franciscum Agosellium Cæsenaensis ecclesiæ episcopum, Josephum Vignoli episcopum Foroliviensium, Josephum Terzi episcopum Feretranum, Joannem Baptistam Donati episcopum Cereviensem, Franciscum Mariam Colombani episcopum Brittinoriensem, Joannem Baptistam Mami episcopum Sarsinatensem, clerum cathedralis ecclesiæ, magistratum, omnesque civitatis optimates; ecclesiam elegantiori forma decoratam ingressus, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum super aram principem expositum veneratus, ad altare s. Carolo sacrum accessit, ubi genitorum, aliorumque majorum suorum antiqua sepulchra conspiciuntur, ibique preces longius produxit. Ad proximum inde suum paternum palatium processit, in quo per integram sequentem diem moram trahere decreverat, in ejusdem vestibulo obviam habuit suam germanam sororem, Fratrem, duasque ex germana sorore nepotes, quas omnes singularis benevolentiae signis excepit, et superiorem palatii partem conscendit.

Cum autem illuc advenisset comes Joannes Zambeccari; unus ex Bononien- sibus senatoribus de mandato s. catho- licæ majestatis, ut suo regio nomine sanctissimo patri pro felici incepto itinere fausta auspicaretur, Sanctitas Sua eidem injunxit, ut regiæ majestati singulares suos animi sensus patefacere quantocius non omitteret, et de hujus- modi peculiaribus benevolentiae, et filialis amoris signis, maximas pontifi- cio suo nomine ageret gratias.

Fer. IV. die 6. martii hora 15. ad cathedralem ecclesiam accessit, ubi veneratus sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, ad sacellum perrexit, in quo antiquissima, et miraculis, prodigiisque insignis imago B. V. de Populo nuncupatæ adservatur, ibique incruentum missæ sacrificium confecit; quo completo, aureum calicem cum patena exquisitiori arte elaboratum, ac sacram planetam phrygio anreo opere insignem, cum qua missam celebraverat, eidem cathedrali ecclesiæ in perpetuum

sui amoris monumentum obtulit. Altera deinde missa audita, ad sacrarium capitulare processit, ubi clerum ejusdem ecclesie, et inde illustres civitatis feminas ad pedis osculum admisit.

Ad monasterium s. Clare postea se contulit, ac in monasterii janua consistens monialibus permisit, ut ipsius pedem deosculari possent.

Ad publicum inde civitatis palatium digressus, populo apostolicam benedictionem impertivit.

Ut autem sacris virginibus Camaldulensibus, quæ in s. Catharinæ monasterio vitam ducunt, et præcipue ejusdem monasterii abbatissæ Sanctitatis Sux ex germana sorore nepti satisfaceret, illuc perrexit.

Asceterium ingressus, ad chorum divertit, ubi monialibus permisit, ut ad pedis osculum accederent. Lastratis inde ejusdem monasterii aliquibus novis ædificiis, supra abbatissam singulariter, ac ceteras omnes moniales apostolicam benedictionem effundens, ad palatium reversus est.

Fer. V. die 7. martii hora 15. sanctissimus dominus Noster ad ecclesiam ordinis servorum B. M. V. iterum accedens, ibidem sacrificio missæ adstitit.

Hora inde 16. Forolivium contendit, et Faventiam adiit, factaque brevi mora in palatio comitis Scipionis Zannelli Sanctitatis Sux consobrini, Forumcornelii versus iter direxit.

Horam 24. præfatam civitatem attigit, et ad ecclesie cathedralis fores e curru descendens ab eminentissimo Jo: Carolo Bandi Forocorneliensium episcopo, ejusdemque ecclesie clero, ac magistratu exceptus, inde ad episcopale palatium, in quo noctem transigere decreverat, perrexit.

Fer. VI. die 8. martii hora 13. ecclesiam cathedralem ab eminentissimo episcopo sociatus, iterum repetiit, ibique in sanctiori subterraneo sacello, in quo ss. Cassiani martyris, Petri Chrysologi, et Projecti corpora adservantur, missæ adstitit, tum una cum prelaudato cardinali episcopo, qui summum pontificem usque ad ecclesiam B. M. V. de Piratello duobus mille circiter passibus a prædicta civitate distantem comitatus est, Bononiam versus iter suscepit.

Bononiam illustrem pontificie ditionis civitatem hora vigesima feliciter ingressus est, et ad ecclesiam s. Dominici e curru descendit adstantibus eminentissimo cardinali Igeatio Boncompagno Bononiensis provincie præside,

et eminentissimo Andrea Giovannetti Bononiensium archiepiscopo, una cum ejusdem civitatis magistratibus, ac præcellentioribus nobilitate viris, quos omnes peramanter Sanctitas Sua excepit.

Ecclesiam ingressus ante augustissimum sacramentum fuis precibus, ad proximum conventum ab Helveticæ custodiæ militibus stipatus accessit, ubi ad cubacula opportune parata contendens, ibidem prædictos eminentissimos singulariter admisit; inde civitatis confalonarium, aliosque magistratus, clericum, ac proceres ad pedis osculum excepit.

Die sabbathi 9. martii hora 13. Sanctitas Sua in ecclesiam descendit una cum regio Hispaniarum infante Ferdinando, comitantibus prædictis S. R. E. cardinalibus, quamplurimisque nobiliorum ordinum civibus, et ad sacellum, in quo sancti Dominici tam illustris in ecclesia ordinis fundatoris sacre exuvie coluntur, accessit, ibique missæ adstitit, in summitate ejusdem aræ venerationi exposita existente insigni reliquia sacri capitis ejusdem sancti Dominici; qua expleta, pontifex associantibus supradictis ad sacrarium perrexit, ut ibi desideria nobiliorum ordinum expleret, ad pedis osculum excipiendo nobilitate præcelleutes mulieres, alumnos collegii nobilium, quampluresque religiosos viros.

Summus pontifex e monasterio prædicto ad publicas ædes, in quibus cardinalis legatus, ac confalonarius moram gerunt, accedens, a jam supra enunciatis cardinalibus exceptus superiores hujusce magnæ ædis mansiones conscendens innumerum populum in ampla illa platea existentem, apostolicam benedictionem exoptantem, paterne benedixit; ac inde inter confertissimam populi multitudinem, Centum pervenit a s. m. Benedicto XIV. sum. pont. civitatis titulo insignitam.

Aliquo temporis spatio in palatio eminentissimi Bononiensium archiepiscopi commoratus, ad ecclesiam perrexit, ibique singulari animi sui devotione adorato Eucharistiæ sacramento, Ferrariam versus iter proseguuturus discessit.

Ferrariam hora 22. perveniens ad monasterium s. Dominici divertens, ante ecclesie fores e curru descendit obviam habens eminentissimum cardinalem Franciscum Carafa Ferrariensis provincie præsidem, et Alexandrum Matthæi ejusdem ecclesie archiepiscopum, clericum, magistratum, nobilio-

resque ejusdem civitatis proceres, qui omnes plurima humanitate a summo pontifice excepti fuere.

Ad monasterium inde progressus, cubacula pro ipso parata adiit, ibi moram in nocte persoluturus. Cum eminentissimo cardinale legato singulariter collocutus, archiepiscopum Ferrariensem admisit.

Ad pedis inde osculum admisis magistratu, clero, ac civitatis proceribus, in interiora cubicula se recepit.

Dominica quarta quadragesimæ die decima martii hora undecima cum dimidio Sanctitas Sua in privato sacello missæ adstitit, et hora duodecima Ferrariam relinquens, a cardinale legato sociatus ad portem nuncupatam Lacus Obscuri ad ripam Padi cum suo comitatu processit. Ibi navigium conscendit, quamplures sui comitatus benigne in eodem admittens, reliquis aliis navigia alia ibidem ad hunc finem parata conscendentibus. Cum autem tunc temporis advenisset comes Bianchi nobilis aulicus serenissimi Sardiniae regis, ut ejusdem nomine fausta Sanctitatis Suae, auspicaretur, eidem Sanctitatis Suae, quam gratum hujusmodi humanissimum officium foret, declarans, iunxit, ut majestati suæ maximas gratias persolveret.

Hora 14. naves a Padi ripa solutæ, iter versus Claudiensem civitatem susceperunt.

Spectaculum vero mirabile inspicientium oculis continuo offerebatur, vastissimas illius perampli fluminis ripas undique populo oppletas inspicere pontificiam benedictionem implorante, quam Sanctitas Sua iisdem benigne elargiebatur.

Per Padum flumen progrediens pontifex prope Corbolam obvium habuit Arnaldum Speroni Adriensem episcopum, qui summo pontifici religiosum suum exhibuit obsequium singularibus amoris signis exceptus.

Progressus usque ad locum dictum le Cavanelle, Joannes Benedictus Ciuran episcopus Claudiensis, ac non multo post nob. vir Bartholomeus Gradenigo, qui gubernio Claudiensis civitatis præest, ut pontifici summo obsequium præstare possent, advehere; qui singulari benevolentia excepti fuerunt. Parique modo admissus fuit Vincentius Ranuzzi archiepiscopus Tyrensis Sedis apostolicæ nuncius apud rempublicam Venetiarum, nunc delectus apostolicus nuncius apud aulam Ulyssiponensem, qui

non multo post pontificiam navem assequutus fuit.

Hora circiter 24. Claudiensem civitatem attingens, ad ripam ante palatium nob. viri Bartholomei Grassi, ubi in nocte summus pontifex commoraturus erat, appellens, ibidem e navi in terram undique pannis rubris obductam descendens, obviam habuit quamplures episcopos, præstantiores illius antiquæ civitatis personas, plurimosque alios, qui illuc ex aliis civitatibus advenerant.

Palatium conscendens nobiliori, maximoque sumptu ornatum, equitem Petram Aloisium Contarenum, et Ludovicum Maninium, ambos s. Marci præfulgenti procuratoria dignitate insignitos, et a serenissima republica ad obsequia Sanctitati Suae per integram ejusdem reipublicæ ditionem præstanda usque ad Austriaci status confinia delectos, summa humanitate primos omnium admisit, iisque gratos animi sui sensus aperiens singulari benignitate excepit.

Admisso inde Bartholomeo Gradenigo Claudiensis urbis gubernio præposito, singillatim etiam excepit archiepiscopum Tyrensem apostolicum nuncium, Nicolaum Giustiniani episcopum Patavinum, Joannem Benedictum Ciuran episcopum Claudiensem, Joannem Nani episcopum Brixensem, Andream Benedictum Ganassoni episcopum Feltrinum, Franciscum Condulmerium episcopum Famangustanum, Stephanum Dominicum Sceriman episcopum Caprularum, Antonium M. Cardini electum ecclesie Cremensis, Joannem Badoerium abbatem Asolæ episcopum Cidonensem, ac etiam ad pedis osculum admissis quamplurimis præcellentibus nobilitate proceribus, aliisque ecclesiasticis personis, quæ illuc ad præstandum summo pontifici obsequium convenerant, in interiora cubicula se recepit.

Per. II. die 11. martii hora 13. in privato sacello ibidem existente, summa elegantia ornato, sacrificio missæ adstitit, inde navem conscendit una cum præfatis duobus s. Marci procuratoribus, et reliquo comitatu, prout externa die, additis tamen duabus navibus elegantia summa, ac nobilitate constructis, et ornatis, quæ a supra jam recensitis nobilibus viris s. Marci procuratoribus paratæ fuere, ut summus pontifex iisdem uti posset.

Hora 14. a littore solvens, per Medoacum flumen, progressus ad lo-

cum le Gamberare nuncupatum, obvium habuit Friderium M. Joannelli Venetiarum Patriarcham.

Ad locum inde Fusinam dictum, ubi in lacunam patet ingressus, Sanctitas Sua in primam a procuratoribus nobiliter paratam navem pertransiens, ibique una cum apostolico nuntio, Marcucci patriarcha Constantinopolitano, Contessinio archiepiscopo Athenarum, ac s. Marci procuratoribus jam supra enunciatis, iter per præfatam lacunam fuit prosequutus, insequente alia pari modo nobiliter ornata navi cum quibusdam aliis ex pontificio comitatu, in cæteris inde navibus subsequentibus reliquis omnibus, qui in Sanctitatis Sux famulatu erant.

Iter versus Mestram progrediens, appulit ad locum Malghera nuncupatum, ubi e navi descendit, tum Mestram hora 24. cum integro suo comitatu advenit, et ad nobile palatium procuratoris Erizzo e curru descendit, a quamplurimis episcopis, et ab innumera nobilium Venetorum procerum multitudine exceptus.

In superiora palatii cubicula ascenso pontifice, marchionem Durazzo s. Cæsareæ majestatis apud rempublicam Venetam oratorem, et inde marchionem de Squillace regis catholici apud eandem rempublicam pariter oratorem ad peculiare colloquium admisit. Eodemque prorsus modo, ac singillatim obsequia excepit Francisci Justiniani episcopi Tarvisini, Pauli a Ponte episcopi Torcellani, p. Quirini abbatis s. Georgei majoris ordinis s. Benedicti, prætereaque una simul admisit episcopos Patavinum, Brixiensem, Claudiensem, Feltriensem, Famaugustanum, Caprarum, et electum ecclesiæ Cremenensis, qui omnes, licet in Claudienſi civitate obsequium summo pontifici exhibuerint, attamen huc etiam convenerant, ut sinceram erga eundem ipsorum devotionem omni, quo possent, modo comprobarent.

Proceribus Venetis, nobilibusque mulieribus, qui magno numero illuc accesserant, pariter omni humanitate exceptis, tandem in interiora cubicula se recepit.

Fer. III. die 12. martii in sacello ejusdem palatii missa de more celebrata fuit, et hora 15. inter innumeram cujuscumque ordinis populi multitudinem iter Tarvisium versus arripuit, equestribus militibus præcurrentibus, aliisque currum sanctitatis Sux subsequentibus.

Ad ecclesiæ cathedralis Tarvi-

siensis fores gradum sistens, a Paulo Francisco Justiniano Tarvisino episcopo, nob. viro Marco Zen civitatis præside, clero, quamplurimisque nobilibus exceptus, et ecclesiam ingressus, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum publicæ adorationi expositum veneratus fuit, inde iter prosequutus Sacile versus, ubi in domo Ludovici Flangini S. Romanæ Rotæ auditoris noctem transigere decreverat.

Hora 22. Sanctitas Sua illuc pervenit, ac in præfato palatio a Marco Zagurri episcopo Genetesi, a nobili viro Nicolao Pizzamanno ejusdem loci præside, ab equite Andrea Reuic serenissimi Venetiarum ducis filio, aliisque permultis nobilibus exceptus fuit.

Fer. IV. die 13. martii hora circiter 15. Utinum versus, reipublicæ Venetæ civitatem florentissimam, contendit.

Hora 22. circiter Utinum attigit, et ad palatium comitis Antonii inter confertissimum populum contendens, ibidem a Hieronymo Gradenigo Utinensi archiepiscopo, Bonifacio a Ponte episcopo Justinopolitano, nob. viro Joanne Barbaro Utinensi civitati præposito, clero, aliisque nobilibus proceribus exceptus fuit.

Superiora palatii cubicula conscendit, ac Utinensem archiepiscopum, episcopum Justinopolitanum, ac civitatis præsidem ad singularia colloquia excepit, plurimosque alios tam cleri Utinensis, quam civitatis procerum ad pedis osculum admisit.

Quoniam vero serenissimæ Venetæ reipublicæ domitii confinia proxima erant, Sanctitas Sua, ut peculiarem suam benevolentiam, gratumque animum exhiberet erga sæpe jam laudatos nob. viros equitem Contarenum, et Ludovicum Maniniam s. Marci procuratores, qui eundem in itinere summo studio, ac cura comitati fuerant, Contarenum pretiosa precaria corona donavit, Maninium autem adhuc equestri ordine non insignitum, hujusmodi honore decoravit.

Fer. V. 14. martii Utinum relinquens Goritiam pervenit, ibi in nocte commoraturus in mansionem, quæ jussu, ac munificentia Cæsareæ majestatis, tam ibi, quam aliis etiam in locis, in quibus in nocte summus pontifex Austriacas ditiones percurrens immorari debebat, opportune, ac summo studio paratæ jam fuerant.

Obvium ibi habuit Josephum Garampi archiepiscopum episcopum Mon-

tis Falisci apostolicum apud Cæsarem nuncium, comitem de Cobentzl ab imperatore delectum, ut summum pontificem in itinere comitaretur, generalem Estherasi, ecclesie metropolitanæ clerum, quampluresque alios magnates.

Cohors militum tam hic, quam etiam aliis in stationibus pro Sanctitate Sua designatis, agmine facto, ac sacræ ejusdem personæ custodiam aderat. Sanctissimus pater summa humanitate exceptis apostolico nuncio, comite de Cobentzl, reliquisque omnibus, ad interiora cubicula se recepit.

Fer. VI. 15. martii hora 12. ad cathedralem ecclesiam accessit, ut missæ sacrificio adesset, inde Adelsbergium se contulit, ibique a Francisco Philippo Inzaghi episcopo Tergestino, quamplurimisque aliis obsequiose exceptus fuit.

Sabbato 16. martii ab Adelsbergio Laubacum divertit, ubi in palatio ordinis Theutonici illi adsistere Vincentius de Scrottenbach episcopus Lavanmündensis, et Carolus ab Herberstein episcopus Laubacensis, multique alii proceres, qui a summo pontifice singulari benignitate excepti fuere.

Dominica 17. martii Cillam contendit.

Fer. II. 18. martii e Cilla Marpurghum accessit.

Fer. III. 19. martii Græcium petiit, ubi a Josepho ab Arco episcopo Seccoviensi, a comite Pozthazki Licetestein civitatis præside, ab illustrioribus ejusdem civitatis proceribus, et a prelato monasterii s. Lamberti ordinis Cisterciensis, in ejusdem monasterii hospitio exceptus fuit.

Fer. IV. 20. martii hora 13. Sanctitas Sua ad ecclesiam beatæ Mariæ virginis, de Succursu nuncupatam, ordinis minorum Conventualium accessit, ibique ab episcopo Seccoviensi, prædictique instituti alumnis, omni ecclesiastico servato ritu exceptus, missæ sacrificio ad aram B. M. V. celebrato, adstitit; inde, ut communibus omnium desideriis morem gereret, apostolicam benedictionem elargitus, e Græcio Motenum in Styria perrexit.

Fer. V. 21. martii Stupachum digressus fuit.

Fer. VI. 22. martii e Stupacho Vindobonam feliciter pervenit.

Vindobonæ summus pontifex a die 22. martii, usque ad 22. mensis aprilis diem in imperiali palatio commoratus fuit.

Summo pontifice consistente, Cæsareæ majestatis mandato statutum fue-

rat, ut nobiles excubiæ, dum domi morarentur, in ejusdem anteriori aula adessent, eodem servato ordine, prout in anteriori imperiali aula, idemque ordo servaretur, dum eum per urbem progredi contingeret.

Cum igitur Fer. II. majoris hebdomadæ festo Annunciationis beatæ Mariæ Virginis dicata, ad ecclesiam ordinis s. Francisci Cappuccinorum, inibi missæ sacrificium celebraturus, pergere constituerit, ex imperiali palatio illuc divertens, aliquibus equitibus præcedentibus, papalis crux a suo delatore equitante delata pontificis currum atteibat; summus pontifex in nobili curru sejugo, Francisco Marcucci patriarcha Constantinopolitano, et Josepho Maria Contessiaio archiepiscopo Athenarum ipsum inservientibus, crucem sequebatur. Carrum custodiebant duæ nobiles excubiæ Ungariæ, duæque Gallicianæ patrio more indutæ; duo alii currus similiter sejugi pontificem comitabantur, in quorum primo cum præsulibus Sanctitatis Sæ famulatio addictis locum occupabat nobilis aulicus imperialis aulæ, qui unaquaque die a maiestate sua delectus fuerat, ut in intimo cubiculo apud pontificem adesset, eodem ferme pacto, ac ordine, ut in imperatoris aula servari solet. In tertio tandem currum reliqui pontificis familiares veniebant.

Hac narrata methodo summus pontifex semper per urbem prodiit, nisi cum una Cæsar ipse prodiret. Præterea a superius descripto ordine aliis vicibus in hoc tantummodo recedebatur, quod pontifex loco patriarchæ Constantinopolitani, et archiepiscopi Athenarum, duos ex episcopis, qui ex Bohemiæ, et Ungariæ regnis, Moravia, aliisque Austriacis ditionibus Viennam advenerant, episcopalis consecrationis prioritatis ordine servato, secum in currum deducebat.

Fer. V. in cæna Domini die 28. martii, sacro in imperiali sacello s. Josephi celebrato, sacraque Eucharistia refectis Cæsarea Josephi II. majestate, et regio ejusdem fratre archiduce Maximiliano magno ordinis Theutonici magistro, missæ solemni a reverendissimo Josepho Garampi apostolico apud Cæsarem nuncio in templo aulico fratrum excalceatorum ordinis s. Augustini celebratæ adstitit e choro. Inde ad ecclesiam descendit, et sacris vestibus exornatus, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum ad sacellum, in quo pro subsequentis diei sacra functione custodiendum erat, cum solemnibus supplica-

tionæ detulit, ibique de more reposuit, assistentibus Sanctitati Suae EE. cardinalibus Batthyani, et Herzan, ac insuper etiam adsociante eminentissimo Migazzi, cardinalitibus cappis indutis.

In aula inde imperialis palatii pedes duodecim pauperibus senibus juxta Ecclesiae ritum lavit, Cæsarea majestate adstante, iisdemque in altera magna aula cibos ad mensam præbuit.

Fer. VI. in Parasceve 29. martii hora tertia post meridiem, universis aulae imperialis proceribus Sanctitatem Suam præcedentibus, regio principe Maximiliano archiduce Austriae comitante, una cum eminentissimo Christophoro de Migazzi archiepiscopo Viennensi, ac Josepho a Batthyani archiepiscopo Strigoniensi Ungariae primate, subsequentibus inde aliis episcopis, qui Vindobonam advenerant, a nobilibus excubiis Alemannica, Ungarica, ac Galliciana stipatus, ad venerandam, juxta Germaniae morem, sacram Eucharistiam, in sepulturae Domini Nostri Jesu Christi mysterium, ac memoriam fidelium devotioni, et pietati expositam accessit, ac quinque in ecclesiis piis hunc pietatis, ac religionis actum summa innumeris inspectantis populi veneratione fuit exequutus.

Dominica 31. martii, solemnitate paschali Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi recurrente hora 14. italica, prænobili seculo curra deductus, ibidemque ab eminentissimis cardinalibus Migazzi, et Batthyani comitatus, nobilibus excubiis curram insequentibus, ad metropolitanum s. Stephani Vindobonense templum Sanctitas Sua accessit, ubi sacram liturgiam solemnari ritu, consuetis caeremoniis servatis, perfecit, cardinalibus Josepho a Batthyani, et Francisco Herzan diaconorum assistentium, ac cardinali Christophoro de Migazzi episcopi pariter assistentis munus explentibus; presentibus etiam pluribus episcopis, ac multis monasteriorum praelatis pluviali, ac mitra decoratis. Ut autem in hac sacra solemnari functione nihil omnino deesset ad splendorem, ac reverentiam inspicientium animis conciliandam, Cæsareae majestati maxime cordi fuit, curavitque insuper, et duos prænobiles viros delegit, Schwarzenbergium, ac Averspergium, ambo sacri Romani imperii principes, ut ministerium pro manu lotionis summi pontificis in sacra functione exequerentur.

Splendidior certe, ac æterna memoria digna sacra hæc solemnari actio

Boll. Rom. Tom. VI.

extitisset, si sacra Cæsarea majestas, prout vehementer optabat, præsens in parato solio adfuisset, quod summo ejusdem animi dolore, corporis infirmitate detentus, exequi non valuit.

Expleto solemnari sacro ad palatium Tabularii Bellici processit, ibique pluviali, ac pontificia thiastra ornatus, ad podium supra ecclesiam novæ angelorum chori dicatam existens, nobiliori forma, auræque auro circumfusis, ac splendentibus undique ornatum accessit, ibique confertissimo, ac pene innumero populo pontificalem benedictionem, consuetis fisis precibus, cum plenaria indulgentia fuit elargitus, ohstrepentibus interim tormentis bellicis Vindobonensis arcis, ac festivo sonitu personantibus ecclesiarum ejusdem urbis campanis.

Fer. VI. 19. aprilis consistorium publicum in magna aula palatii imperialis habuit, in quo pileum cardinalitium tradidit EE. cardinalibus Leopoldo de Firmian, ac Josepho a Batthyani, ecclesia s. Petri in monte Aureo, eorum primo, ac s. Bartholomei in Insula, secundo ex ipsis in titulum adsignata.

Fer. II. 22. aprilis Vindobonam relinquens, Medelcium se contulit, quo cardinalis Migazzius venerat, ut eum exciperet.

Fer. III. 23. aprilis Medelcio descendens, postquam missæ a cardinali celebratæ astitisset, Ensiam venit, et ad s. Floriani monasterium digressus fuit, ibique exceptus a cardinali de Firmian; quo adhuc præcurrente Lentium venit principem superioris Austriae urbem; ubi e podium magnifice instructo benedictionem elargitus est immenso populo in subjecta magna platea congregato militum agmine circumfusa.

Fer. IV. 24. aprilis Aurinianum attigit.

Fer. V. 25. aprilis Auriniano relicto, Alt Oettinghium accessit, ubi a Hieronymo Colloredo archiepiscopo Salisburgensi, a principe de Bienkerfeld serenissimi electoris Palatini nepote, plurimisque aliis nobilibus proceribus, qui illuc ejusdem serenissimi electoris jussu, ut summo pontifici obsequium præstarent, advenerant, exceptus fuit.

Fer. VI. 26. aprilis Monachium pervenit.

Monachii a die 27. aprilis usque ad integram diem primam mensis maii commemoratus fuit.

Dominica 28. aprilis missæ sacrificium confecit in ecclesia clericorum

M m m

regularium Theatinorum ejusdem civitatis, præsentibus serenissimis electoribus Trevirensi, ac Palatino. Circa duodecimam vero diei horam more Germanico in prænobili curru ab octo equis tracto una cum laudatis serenissimis electoribus Trevirensi, ac Palatino præcedente equitum cohorte, nobilibus aulicis splendidissimis indutis vestibus ante prædictum currum gradientibus, ejusdem electoralis aulae administris prope currum existentibus, Ephebis, ac Helveticæ custodiæ militibus currum undique stipantibus, agmen claudente alia equitum cohorte, ad amplum civitatis Monacensis forum accessit, ubi per amplum podium ibidem constructum, summaque magnificentia exornatum conscendens, benedictionem apostolicam confertissimo populo ibi consistenti fuit elargitus.

Fer. II. die 29. aprilis sacrificium missæ Deo obtulit in primaria ejusdem civitatis ecclesia collegiata s. Mariæ Virginæ dicata, adstantibus pariter præfatis serenissimis electoribus.

Fer. III. die 1. maii sacram liturgiam Sanctitas Sua explevit in interiori electoralis palatii sacello, mole quidem non amplo, mirabili tamen magnificentia extracto, singularibus, pretiosisque ornamentis undique præfulgenti.

Fer. V. 2. maii Monachio discessit, Augustamque Vindelicorum digressus obviam procedente serenissimo electore Trevirensi episcopo Augustano; et ab universo ejusdem civitatis utroque clero exceptus, ac ad cathedralem ecclesiam longo itinere deductus, expletis ibidem sacris ritibus a Romano pontificali præscriptis, ad episcopale palatium accessit, ubi per integram diem quietam ejusdem mensis constitit. (1)

Fer. VI. 3. maii incrementum missæ sacrificium in cathedrali ecclesia Augustana perfecit, serenissimo electore Trevirensi assistente.

Sabbato die 4. maii ad ecclesiam insignis monasterii s. Udalrici una cum serenissimo præfecto electore accedens, ibi immaculatam hostiam Deo obtulit.

Dominica die 5. maii confecto missæ sacrificio in palatii episcopalis sacello, summus pontifex ad cathedrali ecclesiam progressus, ibidem solemnem missæ a serenissimo electore, Augustano episcopo, pontificali ritu celebratæ, pluviali, ac mitra ornatu in solio consistens adstitit; assistente Maximiliano Christophoro de Rodt episcopo Constantiensi, universoque ejusdem cathedralis ecclesiæ Augustanæ clero, elargita inde innumero populo in platea ante episcopale palatium consistenti, consueto sacro ritu, precibusque effusis, pontificali benedictione cum plenaria indulgentia.

Fer. II. die 6. maii Augusta Vindelicorum discedens, ab equitum cohorte tam serenissimi episcopi, quam civitatis deductus, Abudiacum concessit.

Fer. III. die 7 maii Abudiacum Oenipontem processit, hospitatus ibi in imperiali palatio.

Fer. IV. die 8 maii ab Oeniponte Brixinium petiit a Josepho a Spaur episcopus exceptus.

Fer. V. die 9 maii Ascensioni D. N. J. Christi sacra, missæ sacrificio confecto in cathedrali ecclesia Brixioniensi adstante episcopo, et clero, Brixinio Bocenum se conferens, Tridenti aliquantisper commoratus apud episcopum, mox cathedralem ecclesiam, ac aliam s. Mariæ, ob concilium generale Tridentinum ibi habitum percelebrem, iuvisit.

Fer. VI. die 10. maii Roboretum digressus fuit.

Sabbato die 11. maii Veronam accessit, ubi inter quamplures alios obviam habuit nobilem virum Abundium Rezzonico almæ urbis senatorem sav. uem. Clementis pp. XIII. ex germano fratre nepotem, qui summis benevolentia signis a Sanctitate Sua exceptus, eundem inde in itinere usque Forocornelium prosequutus fuit.

Dominica die 12. maii Veronæ moram gessit, ac in cathedrali ecclesia sacrum confecit; ibique supra sepulcrum cl. mem. card. Petri Pamphili, qui in dicta civitate 4. decembris die anni 1780. obierat, preces fudit.

Fer. II. die 13. maii Veronæ Patavium diveriit, ac ad percelebre monasterium s. Justinae ordinis s. Benedicti progrediens, ibi constitit, a nobili viro equite Aloisio Mocenigo prædefuncti serenissimi Venetiarum ducis filio, civitatis Patavinæ præside exceptus, qui curam omnem adhibuerat, nilque intentatum reliquerat, ut summi pontificis adventus omnibus significationis, ac pu-

(1) *Quæ Augustæ gesta sunt, fusius continentur in descriptione Germanica, impressa Augustæ Vindelicorum typis Joann. Michaelis Spaeth, et Italice traducta a canonico Simone Daser Augustano.*

blicæ lætitiæ signis ab universis civitatis ordinibus celebraretur.

Fer. III. die 13. maii Patavii moram gessit, ac in templo s. Antonio Patavino sacro missam celebravit.

Fer. IV. die 15. maii Patavio relicto, Venetias appulit a serenissimo Venetiarum duce, ac Venetis proceribus solemnī pompa obviam prodeuntibus ad s. Georgium in Aliga.

Venetis commoratus fuit a die 15 maii, usque ad diem 19 solemnissimo Pentecostes festo sacram, in qua sacrificio missæ in ecclesia ss. Joannis, et Pauli ordinis s. Dominici confecto, inde una cum viginti quatuor episcopis, ac duobus S. R. E. cardinalibus Cornelio, ac Boncompagno Sanctitati Suxæ assistentiam præsentibus, in eadem ecclesia in parato solio consistens, pluviali, ac mitra ornatus, solemnī missæ a Friderico Joannelli Venetiarum patriarcha, pontificaliter celebratæ, adstitit; assistentibus etiam solemnī pompa serenissimo Venetiarum duce Paulo Rajnerio, pluribusque reipublicæ proceribus. Expleta missa, extra ecclesiam, universis, qui missæ adstiterant, comitantibus, procedens, contignationem summo studio, ac mirabili artificio in ecclesiæ prædictæ foro erectam, singulari, ac exquisitiori modo ornata consendit, ibique apostolicam benedictionem pontificali servato ritu, immenso populo ibi existenti, cum plenariæ indulgentiæ concessione fuit elargitus.

Eadem dominica die 19 maii hora 20. Venetiis abiens; Patavium iterum repetiit.

Fer. II. die 20 maii Patavio Ferrariam digressus fuit, ibique obviam habuit cum eminentissimo cardinali Carafa provinciæ præside, eminentissimum cardinalem Carolum Victorium Amedeum a Lanceis, qui Taurino Ferrariam advenerat, ut summo pontifici obsequium præstaret.

Fer. III. die 21. maii Ferrariæ moram gessit, ac missæ sacrificium in ecclesia s. Dominici celebravit.

Fer. IV. die 22. maii in sacrario ecclesiæ metropolitanae Ferrariensis consistorium secretum habuit præsentibus eminentissimis cardinalibus a Lanceis, Carafa, et Boncompagno, in quo Alexandrum Matthæi archiepiscopum Ferrariensem cardinalem declaravit, creatum jam; et in pectore reservatum die 12. julii anni 1779; inde missæ adstitit, et in sacrarium iterum reversus, cardinalitio bireto novum cardinalem decoravit.

Bull. Rom. Tom. VI.

Ferraria, his absolutis, discedens Bononiam petiit, ubi cardinalium a Lanceis, Carafæ, Durini e Mediolano huc advenientis, Giovannetti, et Boncompagni obsequia excepit, ibique per duos integros dies commoratus fuit.

Fer. V. die 23. maii sacrum celebravit in ecclesia metropolitana Bononiensi.

Fer. VI. die 24. maii ad templum accedens, in quo insignis B. M. V. imago a s. Luca, ut traditur, depicta, maxima populi illuc continuo confluentis veneratione adservatur, ac colitur, ibi sacrum peregit.

Sabbato die 25. maii Bononiam relinquens Forocornelium perrexit.

Dominica die 26. maii incruentum missæ sacrificium in cathedrali ecclesia Forocorneliensi perfecit, et aureum calicem obtulit s. Petro Chrysologo.

Fer. II. die 27. maii in aula majori episcopalis palatii Sanctitas Sua consistorium publicum habuit, præsentibus eminentissimis cardinalibus a Lanceis, Carafa, Bandi, Valenti Gonzaga, Giovannetto, et Boncompagno, pileoque cardinalitio præfatum eminentissimum Alexandrum Matthæi de more ornavit, ecclesiamque s. Balbinæ in titulum ipsi assignavit.

Fer. III. die 28. maii ecclesiam cathedralē Forocorneliensem maximo sumptu a fundamentis nobiliter extructam cura eminentissimi Jo: Caroli Bandi Forocorneliensis episcopi, et Sanctitatis Suxæ avunculi, solemnī ritu in honorem s. Cassiani episcopi et martyris, Deo dicavit, coadjurantibus eminentissimis Giovannetti archiepiscopo Bononiensi, et Matthæi archiepiscopo Ferrariensi, ac expleta sacra solemnī actione, disertissimam habuit ad populum homiliam.

Fer. IV. die 29. maii Forocornelio discedens, Cæenam processit, ubi per quatuor dies moram gessit.

Fer. V. die 30. maii recurrente solemnitate sanctissimi corporis Christi, solemnem supplicationem cum sanctissimo Eucharistiæ sacramento peregit a porticu publici palatii, ubi magnificum extructum erat altare, ad cathedralem ecclesiam præeuntibus confraternitatibus, et universo utroque ejusdem urbis clero, et duodecim episcopis, quatuorque abbatibus regularibus pluviali, ac mitra ornatis, supplicationem comitantibus.

Sabbato die 1. junii missæ sacrificium confecit in ecclesia s. Mariæ

M m m 2

de Monte ordinis Cassinensis, ibique contulit sacramentum confirmationis Angelo Bandi, et Elisabethæ ejus sorori, Sanctitatis Suæ ex germana serore pronepotibus.

Dominica die 2. junii ecclesiam ordinis servorum B.M.V. in amplio rem formam auctam, nobilisque ornatam, solemnè pompa, ac consueto more dedicavit, coadjuvantibus episcopis, Francisco Maria Lucatelli Spoletano, et Josepho Maria Terzi Feretrano, ac peracta consecratione homiliam habuit ad populum.

Fer. II. die 3. junii humillimis omnium ordinum ejusdem civitatis precibus benigne annuens, ad cathedralem ecclesiam accessit, ibique sacris pontificalibus ornamentis indutus, solemnè ritu, ac pompa consuetis precibus aureas coronas benedixit, iisdemque summus pontifex pervetustam, ac miraculis insigam imaginem Domini Nostri Jesu Christi, ac beatissimæ ejusdem matris semper Virginis Mariæ, suis ipsemet manibus ornavit.

Eadem die hora 20. Cæsena relicta, Ariminum venit.

Fer. III. die 4. junii Senogalliam petiit.

Fer. IV. die 5. Junii Senogalliæ commoratus fuit.

Fer. V. die 6. junii Senogallia Anconam accessit.

Fer. VI. die 7. junii Anconæ constitit, ac in ecclesia cathedrali sacrificium missæ Deo obtulit.

Sabbato die 8. junii Lauretum perrexit.

Dominica die 9 junii peracto in sacra Lauretana æde missæ sacrificio, Tolentium advenit.

Fer. II. die 10. junii Tolentino Fulginium attingit.

Fer. III. die 11. junii Narniam pervenit.

Fer. IV. die 12. junii Narnia civitatem Castellanam divertit.

Fer. V. die 13. junii e Civitate Castellana Romam feliciter adveniens, exceptus ad Pontem Milvium ab eminentissimo Card. Jo. Francisco Albano sacri collegii decano, et ab eminentissimo Card. Leonardo Antonelli primo a Sanctitate Sua in collegium adlecto, unacum iis ad Vaticanam processit basilicam, ubi obviam habuit celsissimum, et eminentissimum dominum cardinalem Henricum ducem Eboracensem archipresbyterum, et capitulum, ibique ad altare sanctissimi Sacramenti, et ad confessionem s. Petri apostoli fuis-

precibus, ad palatium Vaticanum regressus fuit, occurrentibus in aula ducali eminentissimis dominis card. Carolo Rezzonico S.R.E. camerario, Columna urbis vicario, Boschi majore pœnitentiario, Gerdilio, et Matthæjo, iisque dimissis ad domestica cubicula accessit excipientibus Sanctitatem Suam in aula secretiori eminentissimis card. Pallavicino a secretis status, de Comitibus a secretis Brevium, Nigrono pro-datario, et Jo. Baptista Rezzonico a supplicibus libellis.

CCCLXV.

Dat. die
26. februarii
1782
Anno VIII.

Declaratio quod propter ssmi Domini Nostri discessum ab urbe curia, et causarum ac literarum apostolicarum audientia non cesset, nec alibi translata censeatur.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **C**um ob nonnullas graves causas animum Nostrum juste moventes ab alma urbe Nostra discedere, et ad civitatem Vindobouensem dimissis in eadem urbe causarum palatii, et curiæ cameræ, et literarum apostolicarum audientiis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, et prælatorum, ac aliis congregationibus, nec non camerario, ac gubernatore, seu vice-camerario, vicario, et ejus pro-vicesgerente, signaturæ justitiæ præfecto omnibus, vel eorundem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, vel prælatorum, vel mixtis congregationibus particularibus deputatis, senatore, auditore Nostro, secretariâ status, ac Brevium, nec non supplicum libellorum, dataria, et cancellaria Nostris cum plumbo, cappella, et ejusdem cancellariæ, et aliis palatii, urbis, et curiæ Romanæ hujusmodi officialibus, et ministris, eorumque locatentibus, ac cæteris dictam curiam sequentibus, propediem, annuente Domino, Nos conferre intendamus; hinc est, quod Nos bono, et felici urbis, et Romanæ curiæ præfatarum regimini interim providere cupientes, earundem causarum, et literarum apostolicarum audientiam in urbe Nostra prædicta post Nostrum inde discessum, remanere, of-

Curia Romanæ prorogatio, non obstante pontificis discessu.

ficialesque, et ministros, ac curiam sequentes supradictos in ea, sicut præmittitur, dimittendos, Romanam curiam in ipsa urbe constituere, auctoritate apostolica tenore præsentium statuimus, et declaramus.

Prorogatio privilegiorum.

§. 2. Volentes propterea, ut omnes, et singuli officiales, et ministri prædicti, eorumque locatenentes, quibuscumque facultatibus, auctoritatibus, jurisdictionibus, privilegiis, præeminentiis, et indulgiis, etiam quoad collationes beneficiorum ecclesiasticorum faciendas ad terminos specialis chirographi relict. card. pro-datario sibi ratione munerum suorum respective quomodolibet competentibus, aliisque a Nobis specialiter concessis per chirographa, et folia Pius pp. VI. pluribus eorum relict., durante absentia Nostra hujusmodi uti, potiri, et gaudere possint, et debeant, in omnibus, et per omnia perinde ac si Nos in dicta urbe resideremus; ac decernentes causarum, et literarum apostolicarum audientiam, et curiam Romanam hujusmodi præter eandem absentiam Nostram nullatenus ad quemcumque licet inopinatum, et inescogitabilem effectum in alma urbe prædicta cessasse, seu exinde alio translata esse, et fuisse dici, censi, prætendi, aut allegari posse.

Etiam in casu obitus pontificis extra curiam, decernitur ut novæ pontificis electionis Romæ peragatur.

§. 3. Et licet ab aliquibus Romanis pontificibus prædecessoribus Nostris, et præsertim Gregorio pp. X. in Lugdunensi, et Clemente pp. V. in Viennensi conciliis constitutum sit, electionem futuri Romani pontificis in civitate, et loco extra urbem, ubi pontificem pro tempore existentem decedere contigerit, si modo ibi causarum, et literarum apostolicarum audientia fuerit, fieri debere, quia tamen, non obstantibus hisce præsentibus Nostris literis ab aliquibus forsant in dubium revocari posset, si interim, dum ab urbe Roma absentes sumus, universæ carnis viam ingressuri essemus, circa locum celebrandæ electionis prædictæ, nisi huic dubitationi aliqua Nostra declaratione occurratur, et omni ex parte satis provisum sit; Nos, qui in eadem alma urbe Roma per præsentibus Nostras literas causarum, et literarum apostolicarum audientiam relinquimus, illamque rursus relinquere tenore præsentium declaramus, idcirco videlicet, ut si (ex diei, et horæ mortis incertitudine) Nos quoque ante Nostrum reditum in Domino obdormierimus, electio futuri Romani pontificis in ipsa urbe Roma, non autem in civitate Vindobonensi, neque

alibi, ubi tempore obitus Nostris cum Nostra curia erimus, celebrari debeat habita super his ratione cum iisdem venerabilibus fratribus Nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus in consistorio Nostro secreto die xxv. currentis, futuri Romani pontificis electionem in eadem Roma urbe in palatio Nostro apostolico apud sanctum Petrum, et non in civitate Vindobonensi, vel alibi, ubi forsitan obierimus, celebrari debere.

§. 4. Constitutiones autem felicitis recordationis Alexandri pp. III., quæ incipit = Licet de vitanda = prædictas Gregorii pp. X. in Lugdunensi, quæ incipit = Ubi periculum =, et Clementis pp. V. in Viennensi conciliis, quæ incipit = Ne Romani =, nec non Pii pp. IV., quæ incipit = In eligendis =, et Clementis pp. XII. prædecessorum itidem Nostrorum, quæ incipit = Apostolatus officium = circa electionem Romani pontificis hactenus editas, quarum omnium tenores præsentibus pro expressis, et ad verbum insertis haberi volumus, quoad reliqua omnia, et singula in eis contenta, et juxta earum declarationes, et usum in suo robore permanere, et respective ab iisdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, aliisque omnibus, ad quos spectant inviolabiliter observari, auctoritate Nostra apostolica tenore præsentium statuimus, decernimus, præcipimus, et ordinamus.

Confirmantur in cæteris partibus apostolicis constitutiones late super electione pontificis.

§. 5. Cæterum electionem si alibi contra præsentium Nostrarum literarum tenorem per eosdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales fiat, nullam, ac irritam fore, ipsosque cardinales ad aliam electionem in ipsa urbe Roma juxta earumdem præsentium formam procedere debere, et per eos in præmissis, aut contra ea nullatenus dispensari, vel aliquid statui, et definiiri posse etiam decernimus.

Nulla declaratur electio pontificis, quæ non Romæ facta non esset.

§. 6. Volumus insuper, et mandamus, ut tum cum certus nuntius mortis Nostræ Romam advenerit, seu allatus fuerit, aut ejusdem mortis notitia habita fuerit, statim cardinales in urbe præsentibus novendiales exequias pro anima Nostra de more inchoare, et celebrare, ac conclave, et cætera necessaria, et consueti parari facere, atque alios cardinales absentes juxta memoratas Gregorii, et Pii prædecessorum constitutiones per decem dies a die dicti nuntii, seu certæ notitiæ expectare, ipsis vero decem diebus elapsis sequenti die, sive cardinales absentes venerint, sive non, qui præsentibus fuerint, missam de Spiritu Sancto celebrare, et statim con-

Præcipitur quomodo exequiæ celebrari debeant in casu mortis.

clave ingredi, et sine mora ad electionis negotium procedere, atque alia in dictis constitutionibus expressa facere, et omnino teneantur.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 7. Sicque per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, sublata eis, et eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, definiiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, prædicti Gregorii, et Clementis prædecessorum, atque aliis quibusvis constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima sexta februarii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die
26 februarii
1782
Anno VIII.

CCCLXVI.

Concessio indulgentiæ plenariæ ad instar jubilæi consequendæ ab eis, qui nonnullis expletis piis, ac religiosis operibus ecclesias ab ordinariis designandas statutis diebus visitaverint.

Venerabilibus fratribus archiepiscopis,
et episcopis
status ecclesiastici.

Pius PP. VI.

Venerabiles fratres salutem,
et apostolicam benedictionem

Præmium

§. 1. **M**agna, atque innumera-
bilia, venerabiles fratres, divinæ erga
Nos misericordiæ, et clementiæ argu-
menta semper extiterunt, ac nullum
unquam tempus fuit, quod non sum-
mis illius beneficiis fuerit cumulatis-
simum. Verumtamen unum redemptio-
nis nostræ opus, cuius memoriam hi-
sce diebus recolimus, cæterorum be-
neficiorum, et magnitudinem longissi-
me antecedit, et omnium vim, ac nu-
merum complectitur. In hoc diviso,
ac maximo inter homines peracto opere

universæ religionis fundamento est po-
situm, in hoc spes, expectationesque
Nostræ, omnisque vitæ, et felicitatis
ratio continetur. Salvatoris nostri san-
guine ab antiqua captivitate in liber-
tatem vindicati sumus, a contagione ad
sanitatem, a tenebris ad veritatis clari-
tatem redditi, et in Dei filios, ac Jesu
Christi cohæredes cooptati. Ille, ut pœ-
nam a nobis debitam persolveret, no-
stræ naturæ infirmitatem suscepit, ca-
lamitates, dolores, ægrotudines nostras
subiit, cum morte vitam, cum æru-
mis, ac inopia nostra gratiæ suæ dona
commutavit: ut sua nobis tribueret,
nostra in sese assumpsit, peccatis no-
stris coopertus est, et tamquam ovis ad
occisionem ductus, ut victoriæ pro no-
bis relatæ, ac triumphi in carne nostra
acti præmia in nos redundarent.

§. 2. Quid igitur, venerabiles fra-
tres, pro tanti beneficii præstantia agere
nos oportet, nisi ut similes in omni-
bus illi effecti, cum illo crucifigamur,
cum illo moriamur, illius humilitatem,
mansuetudinem, charitatem imitemur,
ad illius exemplar conformati in omni-
um animos divinæ clementiæ, pietatis,
amoris, cogitationes transferamus. In
hoc assidue insistere nos potissimum
necesse est, venerabiles fraires, qui ad
vias Domini cæteris præmonstrandis
præpositi sumus. Ac propterea vos, qui
propiores Nobis estis, ad quos proinde
mature vox Nostra est perventura, com-
pellare nunc volumus, ac, quo majore
studio possumus, excitare ad populorum
custodiæ vestræ creditum de hoc oppor-
tunissimo misericordiæ tempore com-
moneandum. Quid vestro muneri conve-
nientius, quid aliorum saluti utilius fieri
a vobis poterit, quam si eosdem ad
uberrimum nunc a Salvatoris Nostri
cruce profluentem clementiæ, ac mi-
sericordiæ fontem deducatis, et ad de-
rivandos in sese hos Sanguinis Christi
fructus inflammetis? Vestra cohortatio-
ne, vestro exemplo Christo commori
condiscant, ut cum illo a vetustate in
novitatem vitæ possint resurgere, eique
uni vivere, qui traditus est propter pec-
cata nostra, et resurrexit propter justi-
ficationem nostram. Agnoscant, quid
hisce diebus celebranda mysteria præ-
ferant; hoc tempus acceptabile, hoc
esse dies salutis, dies veniæ, misera-
tionis, ac pacis intelligant, et percepta
divinæ misericordiæ magnitudine, il-
lam exquirant, ad illam confugiant, il-
lius obtinendæ desiderio exardescant.
Hæc eorum studia, hunc ardorem in-
flammare etiam debet, admirabilis illa

Episcopos, et
archiepisco-
pos monet pon-
tifex de us-
que sunt pera-
genoa, ut ani-
marum salutem
consulatur.

sacramenti altitudo, quod in sacratissima cœna a Christo Domino institutum commemorabimus. Ubi enim clarius erga nos Domini Dei Nostri caritatis vis elucet, qui Corpus, ac Sanguinem suum in cibum, ac potum nobis tradidit, ut maximum, ac perpetuum sui amoris pignus seipsum Nobis relinqueret, et nos in illo, ille in nobis semper remaneret? Unde major divinæ gratiæ ubertas in nos influat, et præsentiores ad sustinendam spiritus nostri infirmitatem vires accedant, quam dum ipsi omnis gratiæ, et salutis auctori jungimur, et ejusdem corpori tamquam viva membra inserti in illius quodammodo naturam commutamur? Hos suavissimos divini amoris, ac summæ illius pietatis, ac miseratiois sensus in omnium animos, venerabiles fratres, quemadmodum vehementer in Domino vos hortamur, inducite.

Tenor concessionis.

§. 3. Sed, ut hic vestræ sollicitudinis ardor opera etiam nostra adjuvetur, hac divinæ misericordiæ, bonitatis, et clementiæ opportunitate cœlestium munerum thesauros, quorum dispensatio fidei nostræ commissa est, ad populi vestri utilitatem reserandos decrevimus. Dum enim Christus Dominus, qui caput, et magister est noster, suæ misericordiæ divitias, in omnes effundit, eundem imitari nos, ac ejusdem clementiæ, et charitatis insistere vestigiis, quantum in Nobis est, quaque possumus ratione maxime debemus. Itaque de omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus auctoritate confisi, ex illa ligandi, atque solvendi potestate, quam Nobis Dominus licet indignis contulit, universis, et singulis utriusque sexus Christianis in diœcesibus vestris degentibus, qui ecclesias a vobis designandas a dominica quarta quadragesime, ad dominicam Palmarum inclusive, hoc est a die decima proximi mensis martii ad diem vicesimam quartam, ejusdem mensis ter saltem visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote juxta mentem Nostram Deum oraverint, nec non feria quarta, ac feria sexta, et sabbatho alterutrius hebdomadarum prædictarum non obstante quovis iudulto, ac apostolica dispensatione cibus quadragesimalibus usi fuerint, et peccata sua confessi, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum intra idem tempus reverenter sumserint, ac pauperibus aliquam elemosynam, pro ut unicuique suggeret devotio, erogaverint, plenissimam omnium peccato-

rum suorum indulgentiam, et remissionem, sicut in anno jubilæi visitantibus certas ecclesias intra, et extra urbem concedi consuevit tenore præsentium concedimus, et elargimur. Regularibus vero personis, utriusque sexus etiam in claustro perpetuo degentibus, nec non aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis, etiam in carcere existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, qui supra expressa, vel eorum aliqua præstare nequiverint, ut illa confessarius ex jam approbatis aut præsentium publicationem, seu approbationem, eis in alia pietatis opera commutare, vel in aliud proximum tempus prorogari possit, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt pariter concedimus, et indulgemus.

§. 4. Insuper omnibus, et singulis Christianis utriusque sexus tam laicis, quam ecclesiasticis secularibus, et regularibus cujusque ordinis, congregationis, et instituti, in diœcesibus vestris degentibus licentiam concedimus, et facultatem, ut sibi ad hunc effectum eligere possint quemcumque presbyterum confessarium, tam sæcularem, quam cujusvis ordinis, et instituti regularem ex approbatis, ut præmittitur, qui eos ab excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, seu inflictis, nec non ab omnibus peccatis, excessibus, criminibus, et delictis quantumcumque gravibus, et enormibus, etiam locorum ordinariis, sive Nobis, et Sedis apostolicæ per quascumque Nostras, aut Romanorum pontificum prædecessorum Nostrorum constitutiones, quarum tenores haberi volumus pro expressis, quomodocumque reservatis in foro conscientiæ, et hac vice tantum absolvere, et liberare valeat: et insuper vota quæcumque (religionis, et castitatis exceptis) in alia pia, et salutaria opera commutare; injuncta tamen eis, et eorum cuilibet in supradictis omnibus casibus, pœnitentia salutari, aliisque ejusdem confessariis arbitrio injungendis.

Facultas eligendi confessarium ex approbatis, qui absolere valeant etiam a casibus reservatis.

§. 5. Non intendimus autem per præsentem, sicuti prædecessorum Nostrorum nemo in publicationem jubilæi unquam intendit, super aliqua irregularitate publica, vel occulta, nota, defectu, incapacitate, seu inhabilitate quomodocumque contracta dispensare, vel aliquam facultatem tribuere dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum

Reservantur irregularitates, et interdicta notoria.

restituendi etiam in foro conscientiae; neque etiam easdem praesentes iis, qui a Nobis vel ab aliquo praelato, seu iudice ecclesiastico excommunicati, suspensi, interdicti fuerint, nisi intra eisdem jubilaei tempus satisfecerint, et cum partibus concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Derogatio con-
trariorum

§. 6. Non obstantibus, quibuscumque in contrarium facientibus; quibus omnibus, et singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores pro sufficienter expressis, ac formam in eis traditam pro servata habentes, ac vices specialiter nominatum, et expresse ad effectum praemissorum derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Fides habenda transumptis.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae, vel ostensae. Demum apostolicam benedictionem fraternitatibus vestris peramenter impertimur. Datum Romae apud s. Petrum sub annulo piscatoris die 26 februarii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCLXVII.

Dat. die
26 februarii
1782
Anno VIII.

Supprimuntur confraternitates in civitate Britinoriensi existentes, earumque bona applicantur seminario ecclesiastico dictae civitatis.

Venerabili fratri Francisco Mariae
episcopo Britinoriensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

Proeminu

§. 1. **A**postolicae auctoritatis, et providentiae partes in utilitatem, et incrementum collegiorum, et seminariorum in quibus adolescentes ad pieta-

tem, et sacrarum doctrinarum studia efformantur, bonisque moribus imbuntur salubriter collocatas esse intelligentes non sine ingenti animi Nostri laetitia, cum a Nobis petitur, libenter interponere, et conferre gestimus, sicut ad omnipotentis Dei gloriam, eorundem seminariorum incrementum, et animarum salutem in Domino expedire arbitramur.

§. 2. Sane pro ea pastoralis sollicitudine, ac charitate, qua tuae curae commissum gregem jugiter prosequeris, eoque studio, quo pro iis omnibus, quae ad illius bonum, ac etiam temporale commodum spectare intelligis, enixe conaris cum quotidianus cultus hujus tui seminarii tum pro mercede praceptoribus, et ministris solvenda, tum pro alenda juventute, cum demum pro aliis necessariis sumptibus quolibet anno adeo major sit suo satis tenui censu, ut nisi aliquod opportunum, ac firmum remedium adhibeatur, quominus illud cum gravi tuae diocesis, et praesertim adolescentum, qui in sortem Domini sunt vocati, detrimento brevi claudatur, impediti ne utquam poterit; Nobis hinc nuper exponi fecisti, quod sex confraternitates laicales in hac Nostri civitate Britinoriensi erectae existunt, quae cum plures sint, quam spiritualis fidelium utilitas exigat, fit interdum, ut aliquae inter ipsas publicis supplicationibus, ac precibus, aliisque sibi injunctis oneribus pro nimis exiguo confratrum numero, prout decet, interesse, ac respective satisfacere minime valeant. Quocirca, et ad divini cultus augmentum, et ad ecclesiasticae disciplinae progressum apud eos, qui cum sint vocati adesse lumen mundi, homines, qui in mundo sunt, conversatione, sermone, ac scientia illuminare tenentur, pertineret, quatenus praevia trium ex dictis confraternitatibus suppressione, ac extinctione, illarum bona, jura, et actiones seminario praedicto unirentur, et incorporarentur, prout uniri, et incorporari summo prope desideras: Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut in praemissis opportune providere et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignareremur.

Tenor praemissorum
porrectarum
ab episcopo.

§. 3. Nos igitur ex injuncto Nobis supremi pastoratus officio paternis illorum curis, ac sollicitudinibus, qui in Nostros cooperatores in vinea Sabaoth sunt delecti, quantum cum Domino possumus, adesse cupientes, tuisque votis annuere volentes, teque a quibusvis ex-

Concessionis
tenor; vi cuius
eligitur apostolicus
delegatus pro de-
cernenda sup-
pressione con-
fraternitatum

communicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacunque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus tuo nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, fraternitati tuæ, de cujus fide, integritate, doctrina, ac in rebus gerendis dexteritate plurimum in Domino confidimus per præsentem committimus, et mandamus, ut tum confraternitatem laicalem sub invocatione, seu titulo conceptionis B. M. V. in ecclesia fratrum ordinis sancti Francisci minorum Conventualium nuncupatorum alias, ut asseritur, canonicè erectam, tum etiam alias duas confraternitates pariter laicales, quarum altera est sub titulo, seu invocatione ssmi nominis Jesu, altera vero sub titulo de Rosario in ecclesia fratrum ordinis sancti Dominici prædicatorum nuncupatorum æque, ut asseritur canonicè erectas, auctoritate Nostra apostolica suppressas, ac extinctas, ac suppressas, et extinctas esse decernes, atque declares,

§. 4. Bona vero mobilia, et immobilia, jura, et actiones quomodolibet ad easdem tres confraternitates spectantia, et pertinentia episcopali tuo seminario auctoritate prædicta unias, incorpores, et adnectes. Cum autem bona hujusmodi variis missarum oneribus sint gravata, hinc, ut quoad onera bonis alias ad confraternitatem sub invocatione, seu titulo Conceptionis B. M. V. spectantibus adnexa, ea in posterum per dicti episcopalis seminarii administratores adimpleantur, eaque adimpleri cures, et studeas harum serie edicimus, ac mandamus; quoad onera vero bonis ad alias duas confraternitates sub invocatione nempe ssmi nominis Jesu, et sub titulo de Rosario alias spectantibus pariter adnexa, cum in ecclesia fratrum ordinis sancti Dominici, ut præfertur, eadem confraternitates erectæ existant, hinc, ut prævia tot bonorum reddituum, ac proventuum separatione ex eorumdem bonorum massa, quot pro dictorum missarum, aliorumque operum satisfactione sat esse reputabitur, ea dilectis filiis fratribus ordinis prædicti in hac causam cum expressa tamen mentione, quod redditus, ac proventus hujusmodi in dictorum onerum, ac missarum solutionem cedant, auctoritate prædicta applices, atque concedas, harum serie constituimus itidem, ac declaramus; quamvis porro ex suppressionibus, et respective applicatio-

nibus, ac incorporationibus hujusmodi aliquo modo consultum esse videatur necessariæ sustentationi ejusdem seminarii, ne pro debitis quotidianis sumptibus æs alienum contrahere cogatur, nihilominus cum Tridentinum concilium ob id præcipue seminariorum erectionem episcopis commendat, ac mandat, ut in eis filii pauperum alantur, quorum indoles, et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros; quod quidem assequi nequit, nisi hujusmodi collegia sint congruenter dotata.

§. 5. Hinc, sicut accepimus, quidam Joannes Sassi quibus confraternitatibus, quarum altera est sub titulo, seu invocatione ssmi Sacramenti, altera sub titulo, seu invocatione B. M. V. de Monte Carmelo insimul unitis in ecclesia parochiali sancti Petri Incontro hujus Britinoriensis diœcesis canonicè, ut asseritur, erectis bona anni fructus scutorum circiter octuagintorum septem legaverit; hi vero redditus, seu proventus cum adiecta onera excedant, in sumptuosiori plus æquo dierum festorum celebratione, ac commessationibus a confratribus impedi soleant, quorum etiam sumptus in tua novissime peracta pastoralis visitatione compescere carasti; Nos memoratam dispositionem bo. me. Joannis Sassi præsentibus proplene, et sufficienter expressa, ac specificata habentes, eidem fraternitati tuæ injungimus, ut prævia separatione tot bonorum a dicto legato Sassi, que annuorum scutorum quadragintorum fructum ferant, separatione, divisione, ac dismembratione, eadem bona dicto tuo seminario, ea lege, ut deinceps in eo nullo sumptu alatur puer, vel in civitate, vel diœcesi natus alternative eligendus, et dum erit assumendus a diœcesi, si aliquis erit puer, qui studium præferat Deo, et Ecclesiæ inserviendi de parochia sancti Petri Incontro, is præcæteris admitti debeat, auctoritate prædicta unias, incorpores, et respective mandes; utque residualis honorum prædictorum quantitatis administrationem eidem confraternitatibus, ad hoc ut scuta viginti novem in satisfactionem onerum missarum, ac scuta decem octo in celebrationem dierum festorum sanctissimi Corporis Christi, et beatæ Mariæ virginis de Monte Carmelo, ac in cultum, et ornatum suorum respective altarium insumant, concedas, et indulgeas. Verum cum missarum onus a dicto testatore legatum tempus centum annorum non prætergredietur, quibus

Derogatur dispositioni testamentaria Joannis Sassi, qui bona sua status legibus confraternitatibus concesserat.

Bona confraternitatum seminario incorporantur, et consuntur celebratione missarum, aliisque oneribus bonis infixis.

elapsis ab hoc onere dicti confratres prorsus soluti, ac exempti sunt, tibi pariter mandamus, ut aliam eorundem honorum quantitatem annui redditus scutorum viginti nunc pro tunc cum præterlapsus erit dictus terminus auctoritate prædicta designes, et secernas, ut eo elapso, illico eidem tuo seminario applicata, et incorporata sint, ut nunc pro tunc auctoritate apostolica tenore præsentium applicamus, et incorporamus.

Declarationes
speciales.

§. 6. Volentes tamen, ut cum primum hujusmodi applicationis, ac incorporationis, seu unionis casus evenerit, duo pueri, alter quidem Britiorii, alter vero in hac diœcesi nati cum eadem prælatione parochianorum dictæ ecclesiæ parochialis sancti Petri Incontro, quoad diœcesanos omnino alantur. Hæc omnia satis profecto essent ad tui episcopalis seminarii incrementum, ita ut, quod in posterum, benedicente Domino, optimi agri Dominiici cooperatores tibi, tuisque successoribus esset suppeditaturum omnino sperari posset, quoties ob antectas angustias ære alieno in conspicua summa non premeretur. Ut igitur providentia Nostra in hac parte deficere non videatur, ut æs alienum, quo sive sub usuris, sive annuis fructibus, sive alias quomodolibet dictum tuum seminarium gravatum existit, solvi, et dimitti possit, omnium, et singularum confraternitatum, ac sodalitiarum in hac tua diœcesi existentium inexacta credita tibi harum serie concedimus, et donamus; tibi quoque propterea omnes necessarias, et opportunas facultates quoslibet dictarum confraternitatum, et sodalitiarum administratores ad exhibitionem librorum, et status reddituum, cogendi, ut inde quænam sint credita inexacta statuatur auctoritate prædicta tribuimus, et imperitur. Tandem tibi, ut portio ex singulis beneficiis juxta Tridentini concilii disposita detrahenda in totum, vel pro parte, prout res ipsa exegerit, remitti a te possit concedimus, et indulgemus.

Clausula sub-
blata, et decre-
tum imitans.

§. 7. Decernentes has præsentis litteras, et in eis contenta quæcumque semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apo-

stolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, quorumcumque piorum benefactorum, seu testatorum testamentis, dispositionibus, codicillis, ac ultimis voluntatibus, quas quoad præmissa sufficienter, et expresse commutamus, de jure quæsito non tollendo, ac de exprimendo vero valore in suppressionibus, unionibus, seu applicationibus, illisque committendis ad partes, vocatis quorum interest, ac aliis Nostris, et cancellariæ apostolicæ regulis, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas, nisi in casibus a jure permissis fieri prohibentis, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non confraternitatum, seu sodalitiarum prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio habenda, aut quævis alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die vicesima sexta februarii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

Derogatio con-
trariorum.

Dat. die
28 februarii
1782
Anno VIII.

CCCLXVIII.

Concessio indulgentiæ plenariæ, assequendæ ab eis, qui occasione capituli generalis celebrandi a canonicis regularibus ordinis s. Augustini, aliquam ecclesiam ordinis visitaverint.

Pius PP. VI.

Universis Christifidelibus
præsentes literas inspecturis, salutem,
et apostolicam benedictionem.

Ratio, et tenor concessionis.

§. 1. **C**um sicut accepimus capitulum generale canonicorum regularium sanctissimi Salvatoris ordinis sancti Augustini in ecclesia, seu domo sancti Salvatoris canonicorum regularium hujusmodi civitatis Bononiensis propediem benedicente Domino celebrandum sit, Nos, ut opus tam pium majori cum fructu fiat, et ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris, pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere pœnitentibus, et confessis, ac sacra communione reffectis, qui prædictam, vel aliquam ex ecclesiis domorum canonicorum regularium sanctissimi Salvatoris ordinis sancti Augustini, ac singulis diebus actualis illius celebrationis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Præsentibus post celebrationem dicti capituli generalis minime valituris.

Fides habenda transumptis.

§. 2. Volumus autem, ut si pro impetratione, præsentatione, admissione, seu publicatione præsentium aliquid, vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur præsentibus nullæ sint, utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus notarii publici subscriptis, et sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ, vel procuratoris generalis dicti ordinis munitis eadem prorsus fides habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Fulginei sub annulo piscatoris die xxviii. februarii MDCCCLXXXII. pontificatus Nostri anno octavo.

CCCLXIX.

Dat. die
4 martii
1782
Anno VIII.

Unio monasteriorum s. Crucis Mortariæ, et s. Mariæ de Castello Alexandriæ congregationis Lateranensis ordinis s. Augustini provinciæ Ducalinæ ejusdem congregationis.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecit dilectus filius modernus procurator generalis canonicorum regularium congregationis Lateranensis ordinis sancti Augustini, quod ipse ad magis magisque in monasteriis sanctæ Crucis de Mortaria, et sanctæ Mariæ de Castello Alexandriæ dictorum congregationis, et ordinis regularem observantiam adjuvante Deo firmandam, et provinciæ Ducalinæ eorundem congregationis, et ordinis, quæ aliis monasteriis in Pedemonte sitis, nec non monasteriis Placentiæ, Parmæ, et Regii (ut asseritur) constat, uniri summopere desiderat.

Expositio præcui.

§. 2. Nos igitur piis ejusdem exponentis votis ad religionis incrementum, et felicem progressum tendentibus, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, supradicta duo monasteria, nempe sanctæ Crucis de Mortaria, et sanctæ Mariæ de Castello Alexandriæ cum provincia Ducalina prædicta perpetuo unimus, conjungimus, adnectimus, et incorporamus.

Tenor concessionis.

§. 3. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quancumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque judices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula subilata, et decretum irritans.

Derogatio
contrariorum.

§. 4. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et monasteriorum predictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permausuris ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Ariacia sub annulo piscatoris die quarta martii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

Dat. die
5 martii
1782
Anno VIII.

CCCLXX.

Imminutio festorum in diœcesi
Bracharense.Venerabili fratri archiepiscopo
Bracharensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem.

Proemium.

§. 1. Cum sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum invenjatur adversum: ea propter apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis au-

toritatem interponere, quæ cæteroque ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariorum inopiam non sine conscientie angore contemnantur.

§. 2. Quoniam autem sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem fraternitati tuæ innotuit, in tua diœcesi Bracharensi adeo exereverunt calamitates, et angustie propter præsentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores, incolæque, et præsertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persæpissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis sese addicere pro pane lucrando, idque eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Expositio
pre-
cunt.

§. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus quantum cum Domino possimus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste sustinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis, quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus iacincti: fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, quatenus constituto tibi de narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus in prædicta tua Bracharensi diœcesi existentibus, ut deinceps, exceptis omnibus diebus Dominicis, nec non natalis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti, sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschalis Resurrectionis, et sequenti, Pentecostes, et sequenti, ac Corporis Christi, Ascensionis, sancti Joannis Baptistæ, sancti Josephi, ac sanctorum Petri, et Pauli, et Jacobi apostolorum, nec non commemorationis omnium sanctorum; præterea quinque dicatis beate Mariæ virginis immaculatæ, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sancti

Tenor concessio-
nis.

patroni, aut tutelaribus ejuslibet loci, pro hominibus ejusdem loci dumtaxat, festivis diebus, in quibus integra maneat præcepti obligatio: in reliquis vero festis sive per hanc sanctam Sedem præceptis, sive per synodales ejusdem diocesis constitutiones, sive quacumque alia de causa, etiam ex causa voti per majores suos facti (quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus) præceptis, præscriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientie scrupulo vacare possint auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, præcipias, et mandes.

Derogatio contrariorum.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non diocesis prædictæ, illiusque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Cæsennæ die quinta martii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.



CCCLXXI.

Dat. die
9 martii
1782
Anno VIII

Imminutio festorum in abbazia Campidonensi.

Venerabili fratri Joanni Baptistæ archiepiscopo Iconiensi Nostro, et apostolicæ Sedis in dominio Helvetiorum, et Rethorum nuntio.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. **P**aternæ charitatis, qua Christianifideles omnes in Domino complectimur, illud maxime consentaneum videtur, ut eorum temporalium etiam commodorum rationem habeamus, quibus præsertim illi ad spiritualia consecranda fieri promptiores, alacrioresque possint. Utraque enim ita componi, et constitui debent, ut altera abesse alteris nequeant, sed mutua inter se temperatione, quoad fieri potest, maxime provehantur. Quapropter, etsi præcipue ad divinum cultum, animarumque salutem Nostra apostolici ministerii sollicitudo conversa sit, tamen interdum ea minime neglecta temporalium rerum opportunitate non solum impedimenta, si quæ sint, averti, sed, et multo potiora ad eum finem adjuncta comparari posse cognoscimus.

Protonium

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Honorius Rolt de Schrokenstein modernus abbas monasterii abbatiæ ducalis, et imperialis nuncupatæ B.M.V. in cælos Assumptæ oppidi civitatis nuncupatæ Campidonensis ordinis sancti Benedicti nullius diocesis provinciæ Moguntinæ, ac S. R. I. princeps, quod cum mediocra incommoda a festorum dierum numero in satis ampla paræcia sancti Laurentii sibi subjecta, præsertim cum in finitimis diocesis Augustana nempe, et Constantiensi dies festi hujusmodi apostolica auctoritate fuerint imminuti, continuo emanent, opportuna dierum festorum imminutione huic etiam populo per Nos consuli summopere desiderat: Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignemur.

Expositio protonium.

§. 3. Nos igitur postulationum suarum æquitate permoti, ut fidelium utilitatibus absque æternæ salutis dispendio consulamus per præsentis fraterni-

Tenor concessionis.

tati tuæ committimus, et mandamus, ut in dicta paræcia sancti Laurentii memorato Honorio abbati subjecta hanc de festis diebus legem, in quam maturo consilio, et expensis omnibus descendimus, auctoritate apostolica denuncies, et edicas. Retineantur nempe, ac celebrentur festivi dies resurrectionis cum sequenti, et Pentecostes itidem cum sequenti, aliique per annum dies Dominici, nec non Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, Circumcisionis, Epiphaniæ, Ascensionis, et Corporis Christi, tum quinque dicati B.M.V., scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis; præterea retineantur festa sanctorum apostolorum Petri, et Pauli, omnium sanctorum, sancti Stephani prothomartyris, et unius tantum principalioris patroni, sed si alicubi plures patronos æque principales haberi contigerit, diligenter inquirens necesse est, venerabilis frater, quinam ex diebus principalioribus patronis potiore cultum, et venerationem in ea vel civitate, vel oppido, vel pago habeat, et in ejus tantum propria die festivitatis præceptum designes. In his igitur omnibus festis diebus pro veteri Ecclesiæ Catholicæ instituto Christifideles sacris adesse, a servilibus operibus abstinere, et jejunium in eorundem vigiliis, quibus adnexum sit, observare debeant, et teneantur. In reliquis vero festis non solum laboriosas artium exercitationes, et servilia opera permittimus, et indulgemus; sed insuper eosdem Christifideles a quocumque vigiliæ, seu jejunii diebus præcedentibus, dummodo aliunde vel ratione quadragesimæ, vel ratione quatuor temporum, non præcipiatur, et audiendi missam in prædictis festis obligatione absolvimus, et liberamus.

Reservations, et declarationes speciales.

§. 4. Sed quoniam dum populorum conscientia consulimus, et eorum, qui in sudore vultus sui panem comedunt; indigentia providemus, sanctorum venerationem, et salutarem Christifidelium penitentiam minuere non intendimus, ideo sanctorum, et solemnitatum officia, et missas tam in eisdem abrogatis festis, quam in eorum vigiliis retineri, et sicut prius in quacumque ecclesia celebrari mandamus: sacrum vero jejunium, quod in prædictis vigiliis habebatur ad quartas, et sextas ferias Adventus transferendum, ibidemque servandum edicimus, et constituimus. Ut autem non solum clerici, et divites homines sæculares, qui etiam diebus non

festivis sacrosancto missæ sacrificio, et divinis officiis, quod vehementer cupimus, adesse possunt, sed etiam ii, qui rusticis detenti laboribus ecclesias diebus tantum festis adeunt, sanctorum apostolorum, et martyrum, quorum solemnitates superius abrogavimus, memoriam servant, et venerentur, volumus, ac præcipimus; ut die vigesima nona junii, ultra præcipuam sanctorum Petri, et Pauli apostolorum solemnitatem, etiam aliorum apostolorum, et die vigesima sexta decembris ultra præcipuum sancti Stephani festum, etiam aliorum sanctorum martyrum memoria celebretur. Quare die vigesima nona junii in kalendaris ecclesiasticis ita festum inscribendum erit = Sanctorum Petri, et Pauli, et commemoratio omnium sanctorum apostolorum = ac tam in officio, quam in missa addatur = commemoratio de communi apostolorum = die vero vigesima sexta decembris, ita notetur = festum sancti Stephani prothomartyris, et commemoratio omnium sanctorum martyrum = ac tam in officio, quam in missa addenda erit = commemoratio de communi plurimorum martyrum = Hæc Nos venerabilis frater non minus spirituales, quam temporales populi prædicti utilitatem intuentes scienda esse judicavimus, in quo plurimum sollicitudini, ac vigilantia tuæ confidimus, qui illud profecto sedulitate, studioque tuo efficies, ne quid e divino cultu detractum videri possit, sed quo minor festorum dierum facius est numerus eo major sit in populorum animis pietas, fervor, ac devotio. Proinde vehementer cupimus, ac in Domino fraternitatem tuam hortamur, ut populos hosce edocendos diligenter cures quæ ad justam, legitimamque dierum festorum celebrationem pertinent, quo ardore, quove humilitate spiritus adstare sanctissimo altaris sacrificio, quo studio, qua frequentia divinis officiis, sacris concionibus, ac christianæ doctrinæ institutionibus interesse debeant, et ne per eos dies Christifidelium corda graventur crapula, et ebrietate, ac sæcularibus cogitationibus, quam diligentissimam operam dare debebis, ut profana quæque ludrica, et minus religiosa a publicis locis amoveantur, contra vero in conspectu sint illa, abundeque suppetant, quæ ad fovendam devotionem, pietatemque plurimum prodesse possint, quæ quidem cuncta, a perspecta sedulitate tua Nobis maxime pollicemur,

Derogatio
contrariorum.

§. 5. Non obstantibus apostolicis, ac universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Ferrariæ sub annulo piscatoris die ix. martii 1782. pontificatus Nostri anno octavo.

CCCLXXII.

Dat. die
9 martii
1782
Anno VIII.

Quædam statuta super electione abbatis generalis, et procuratoris generalis, et convocacione capituli generalis pro canonicis regularibus sanctissimi Salvatoris ordinis s. Augustini.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Inter varias, ac multiplices sollicitudines, quas in hisce præsertim difficillimis temporibus pro communi christianæ reipublicæ utilitate Nostræ curæ divina providentia commissæ dies, noctesque suscipimus, ad ea quoque, quæ ad honum ordinum regularium, qui in Ecclesia Dei ad illius ornamentum, ac præsidium instituti tam scite, ac prudenter a prædecessoribus Nostris fuerunt, pertinere dignoscuntur, providentiæ Nostræ intuitum convertere tenemur, ut sic eorum opera, ac labores ad sanctificandum homines, ad parandum Domino plebem perfectam, ad gloriam Domini Nostri Jesu Christi, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, et in ædificationem corporis Christi facilius, ac utilius impendere valeant.

Ratio consti-
tutionis eden-
da.

§. 2. Quum itaque ad audientiam Nostram pervenerit, dilectos filios canonicos regulares sanctissimi Salvatoris ordinis sancti Augustini, ut hujus sæculi misera conditio, ac temporum fert malignitas, ærumnarum, ac vicissitudinum satis adeo pertulisse, ut ob imminutum ædium canonicalium, seu monasteriorum numerum, dictus ordo alumni careat, et suus status publicus valde extenuatus sit, proindeque quoties antiqua totius ordinis prædicti in sex partes, seu regiones divisio retineatur, quoties pariter sex in futurum sint suæ primariæ dignitates abbatis nempe generalis, procuratoris generalis, et qua-

tuor visitorum, ac quoties demum servetur statutum, ut quolibet triennio juxta constitutionem felicis recordationis Sixti pp. V. prædecessoris Nostri xxiii. augusti MDLXXXIX. quæ incipit = Ex varietate temporum = ac ejusdem ordinis constitutionem cap. xxxi. capitulum generale habeatur, quamvis sumptus pro trienniali hujusmodi convocacione necessarij nimis graves sint monasteriis prædictis; præsertim vero monasterio sanctissimi Salvatoris civitatis Nostræ Bononiensis, quorum pondus in maxima parte sustinere tenetur, nedum ad dignitates personæ minus idoneæ, ac dignæ interdum eligendæ erant, quinimo, nisi hisce malis aliquod opportunum adhibeatur remedium, quod brevi ordo iste concidat, necesse est.

§. 3. Nos hinc pro ea charitate, qua omnes regulares ordines, et hunc præcipue complectimur, felici, prospereque suo statui consulere volentes, ac prædecessorum Nostrorum exempla, qui capitulares hujusmodi sessionis non tantis urgentibus de causis pluries distulerunt sectantes, immo etiam resolutioni in comitiis, seu dicta diei xi. maii anni MDCCLXXII. annuendo, et audito prius dilecti filii Nostri Lazari Opizi tituli sancti Petri in Vinculis presbyteri cardinalis Pallavicini nuncupati apud Nos, et sanctam Sedem ordinis prædicti protectoris consilio, ac memoratam constitutionem Sixti prædecessoris, nec non ordinis prædicti ordinationes caput xxxi. præ oculis habentes, motu proprio, ex certa scientia, ac maturata deliberatione Nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine harum serie statuimus, ac ordinamus, ut in præmissis capitula generalia post proximum, ut moris est, prope diem nempe, feria secunda dominicæ tertiæ post pascha Resurrectionis habendum, retenta illorum celebrationis die a memoratis constitutionibus dicti ordinis designata, nisi de sexennio in sexennium in posterum indicantur, ac ut abbas generalis tum in proximo futuro capitulo generali, tum cæteri in futuris deinceps eligendi per integrum sexennium eorum munere fungi, suaque dignitate uti debeant.

Tenor statuto-
rum.

§. 4. Declaramus insuper, quod licet in capitulis generalibus hujusmodi ad formam earundem constitutionum quatuor designari soleant abbates visitorum, qui non secus, ac abbates generales usque ad novam capituli generalis convocacionem in suo officio hujusmodi persistere consueverunt, nihilo.

Declarationes
speciales.

minus ex prorogatione indictionis capituli generalis hujusmodi eorum munus ultra triennium a dictis constitutionibus præscriptum protrahi non debeat, sed ut in capitulo generali octo eligantur abbates visitatores, quatuor nempe pro quolibet triennio, cum expressa tamen, ac explicita mentione, qui nam sint, qui per primum triennium quinquam, qui per secundum triennium dicto officio fungi debent, motu, scientia, et potestate prædictis ordinamus; sicuti pariter prorogationis capituli generalis prædictæ beneficio neutiquam uti abbates de gubernio nuncupati; sed quoad illorum durationem, quod per dictas constitutiones caveatur omnino observari districte mandamus.

Derogationes
adversus con-
stitutiones or-
dinis.

§. 5. Insuper cum sicut accepimus, constitutiones dicti ordinis in capitulo xxxii. disponant, quod electio abbatis procuratoris generalis ad definitorium spectet, sicque reapse fuerit observatum ad annum usque MDCCXXX. in quo prævio capituli generalis decreto, et a congregatione venerabilium fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium episcoporum, et regularium negotiis præpositorum die xxii. septembris ejusdem anni confirmato jus electionis prædictæ ad capitulum generale fuit delatum; Nos hinc non obstante decreto hujusmodi, sic ut præfertur, confirmato jus electionis procuratoris generalis ad dictum definitorium restituisimus, ita tamen, ut in posterum tum ad cohibendum primariarum dignitatum dicti ordinis numerum, quæ, ut præfertur, in præsentem attentam monasteriorum imminutione nimis multæ sunt, tunc etiam, ut monasteriis, seu ædibus canonicalibus hujusmodi intra Nostram, et Sedis apostolicæ temporalem ditionem sitis ous detrahatur cultus procuratoris generalis, qui ad ea dumtaxat spectare dignoscitur, munus hujusmodi in abbatem monasterii sancti Petri in Vinculis almæ Nostræ urbis pro tempore existentem conferatur, ac dictum officium ultra triennium non protrahatur, nullumque jus abbati hujusmodi ad generalatum, prout in præsentem in more est positum, acquiratur. Ut autem a dicto definitorio dignior religiosus in abbatem hujusmodi designetur, eidem definitorio illum inter multos, nulla habita ratione nationalitatis, qui talis in Domino reputabitur in abbatem hujusmodi constituendi, et deputandi liberam, et amplam faculta-

tem, motu scientia, et auctoritate prædictis tribuimus, et impertimur.

§. 6. Ne vero dum feliciori dicti ordinis statui providere studemus, ex sui capituli generalis prorogatione de sexennio in sexennium aliquod damnum ingeratur, motu, scientia, auctoritate, et tenore prædictis volumus, ac decernimus, quod in perpetuis futuris temporibus quolibet triennio in feria secunda tertiæ dominicæ post pascha Resurrectionis pro capitularis conventus habeatur, cui intererunt tum abbas generalis, tum etiam dicti octo abbates visitatores; in hisce comitiis porro erit designandus, seu eligendus procurator generalis, abbas nempe monasterii, seu ædis canonicalis sancti Petri in Vinculis urbis, aliique etiam deputabuntur abbates de gubernio, ceteraque omnia gerentur, quæ dum capitulum generale quolibet triennio convocabatur, geri solebant. Constituimus pariter, quod comitia, quæ ad formam dictarum constitutionum caput. xxxi. paragraphum xxvii. singulis annis erant habenda nisi duabus vicibus deinceps intra sexennium prædictum indicantur, anno scilicet secundo, et anno quinto post dictum capitulum generale; quod si tandem durante dicto sexennio, vel abbatem generalem, vel alterum ex electis visitoribus viam universæ carnis ingredi contingat, quæ in hujusmodi casibus ab ordinationibus, et constitutionibus dicti ordinis præscriptum fuit, observari omnino mandamus. Verum si obitus abbatis generalis, aut alterius ex visitoribus pro secundo triennio, ut præfertur, electio ante memorata comitia pro capitularia evenierit tunc, et eo casu, ut in proximis futuris comitiis hujusmodi advocatis abbatibus ex generalibus cum eorum suffragio, tum novus abbas generalis, qui per triennium dumtaxat suo munere fungetur, eum etiam novus, seu novi abbates visitatores respective deputentur, ac eligantur motu, scientia, auctoritate, ac tenore præsentis statuimus, ac ordinamus.

Providentiæ
ne ullo unquam tempore aliquod damnum ingeratur.

§. 7. Decernentes easdem præsentem literas perpetuo firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis, ad quos nunc spectat, et spectare poterit quomodolibet pleiissime suffragari, et inviolabiliter observari et ampliari; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et ejus-

Clausulas salutes, et irritantes.

dem Sacerdotæ Romanæ Ecclesiæ cardinales atiam de latere legatos, ac sanctæ Sedis nuncios judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate seienter, vel ignoranter contigerit attemptari.

Derogatio con-
fratiorum.

§. 8. Non obstantibus memorati Sixti pp. V. prædecessoris, aliaque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis prædicti etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate aliâ roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, et cum quibusdam etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis aliâ expressio habenda, aut quævis aliâ exquisita formâ ad hoc servanda foret, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Ferrariæ sub annulo piscatoris die nona martii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCLXXIII.

Confirmantur nonnulla decreta, seu statuta pro servanda quadripartita alternativa in electione magistrorum generalium ordinis beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. **P**astoralis officii Nobis licet immeritis divina dispensatione commissi curam exercere jugiter satagentes, ea, quæ ad æqualitatem, pacem, et tranquillitatem inter personas præsertim divinis obsequiis sub suavi religionis jugo mancipatas firmandam, conservandamque, provide, ac prudenter disposita, et statuta esse noscuntur, apostolicæ Nostræ auctoritatis munimine, dum id a Nobis petitur, libenti animo roboramus.

Proemium.

§. 2. Nuper siquidem pro parte dilecti filii Martini de Torres moderni magistri generalis fratrum ordinis beatæ Mariæ virginis de Mercede redemptionis captivorum nuncupatorum expositum Nobis fuit, quod cum alias felicis recordationis Clemens pp. XII. prædecessor Noster per bo. me. Vincentium archiepiscopum Seleucensem tunc sumum, et Sedis apostolicæ in regnis Hispaniarum nuncium injunxerit capitulo generali ordinis prædicti anno MDCCXXXII. celebrato, quod in posterum statuere- tur, ut aditus nequaquam pateret ad magisterium generale ei provincie, quæ illud adeptæ fuisset, nisi post peractas tres electiones de filiis aliarum provinciarum dicti ordinis, ita ut provincia, quæ in immediato sexennio magisterio hujusmodi gavisæ fuisset, sine voce passiva ad sequentia tria capitula generalia concurreret, quod quidem dicti Clementis prædecessoris monitum ignotis de causis effectu caruit, donec in novissimo ejusdem ordinis generali capitulo anno MDCCLXXVI. præside Nostro, et apostolicæ Sedis nuncio Toleti habito nonnulla stabilita sunt decreta, quæ provinciarum omnium prædicti ordinis commodis æqualitatem dicti magisterii generalis cum aliorum honorum distributioni, paci denique, et tranquillitati, ac regulari observantiæ fovendis, nec non particularium religiosorum virtuti, meritisque remunerandis apprimè conductura visa fuerunt, quorum tenor talis est, qui sequitur.

Expositio præ-
cum.

Prioris editi
decreti tenor

§. 3. I. Generale definitorium omnium ordinis provinciarum utilitati, et commodis prospiciens, earumque filiis dignioribus de ipso ordine benemerentibus ad supremum ejus magistrarium viam aperiens, non utile modo, sed et necessarium existimans, præcipit: ut in posterum magistri generalis electio hac methodo, et non aliter fiat. Semel e provincia Aragoniæ, vel Franciæ, vel Sardinia: dein ex provincia Castellæ, vel ex una quavis novæ Hispaniæ, vel Quitensi, vel Portugalliæ; deinde ex provincia Valentia, vel Italia; ac tandem ex provincia Vandalia, vel ex una quavis regni Peruani. Proindeque cum magister generalis ab hoc capitulo electus sit Valentia provinciae filius, præcipit generale definitorium, ad proxime futuram magistri generalis electionem non gavisuros voce passiva, nisi filios provinciae Vandalia, et aliarum provinciarum ipsi superius adjunctarum. Ad electionem vero, quæ hanc sequetur, voce passiva gavisuros Aragoniæ, et aliarum ipsi adjunctarum provinciarum filios; ac tandem ad sequentem electionem provinciarum Castellæ, et aliarum ipsi superius aggregatarum filios voce eadem passiva gavisuros: atque statuimus hunc ordinem perpetuo, et inviolabiliter in posterum observandum; ita ut nulla ex provinciis in hac quadripartita superius expressa vocem passivam, jus, sive actionem ad magistrarium generale præterdere, aut allegare possit, nisi post tres electiones methodo, et ordine superius statuto celebratas, et servatis aliis omnibus, quæ ordinis constitutiones præscribunt.

Tenor secundi
decreti.

§. 4. II. Item præcipit definitoribus, tam generalibus, quam provincialibus, ut auctoritatem ipsis ab ordinis constitutionibus attributam sancte tueantur, atque conservent; generalis ordinis magistro, ut in gravibus, arduisque negotiis, quod ordinis constitutiones movent sententiam patrum definitorium generalium roget: absentium quidem scripto, eorum vero, qui in domo suæ residentia commorantur, voce, expositaque clare, et distincte ne tota, auditisque, atque lectis eorum suffragiis, juxta ea decernat, quod concubiciliis visum fuerit. Patribus provincialibus præcipit, ut duo ex definitoribus provinciae penes se in eadem domo commorari cogat ad discutienda, et finienda graviora negotia in provincia occurrentia; et quoniam in Aragoniæ provincia sæpius contiget id exe-

qui non posse, quando videlicet provincialis eligitur ex parte Catalauniæ, vel Navarræ, statuit generale definitorium, magistrum antiquiorem conventus ad prædictum effectum simul cum definitore, ac provinciali convocandum, locum alterius, et vices supplere debere.

§. 5. III. Item præcipit presidentibus capitulorum, tam generalium, quam provincialium ut omnino absterneant ab indicanda vocalibus per se, nec per alium directe, vel indirecte, persona a capitulo eligenda, antequam electio peracta sit; permittit tamen hujuscemodi electionibus scrutinium more hactenus servato præmitti.

Tenor tertii
decreti.

§. 6. IV. Ut duo, vel tres ex quatuor provinciae definitoribus ex patribus provinciae, vel magistris ejusdem perpetuo eligantur, atque ut hujusmodi electio liberius paragatur, prohibet generale definitorium eligendorum nomina scripto dari, tam a presidente capitulo, quam ab alio vocalium.

Tenor quarti
decreti.

§. 7. V. Ut electi omnes in capitulis provincialibus ad munera provinciae respective obeunda, jure, et auctoritate ipsis eorum officiis ab ordinis constitutionibus attributis utantur, et gaudeant quin ab ordinis generali magistro impediri, aut turbari possint, nisi in casibus legitimæ appellationis, sive recursus, servato tamen ordine gradualem a Bullis apostolicis præfinito.

Tenor quinti
decreti.

§. 8. VI. Ut prælati ordinarii, et locales ea methodo, et libertate eligantur, quas ordinis constitutiones servandas præcipiunt, et nullo pacto legitimum usum eorum jurisdictionis ordinariæ impediri posse decernit. Idem tamen prohibens ad hujusmodi officia eligi præsidentes ad nutum amovibiles, sive interinos, magistrum generalem, aut provinciales eorum prælatorum gubernationi, atque directioni sese immiscere, nisi in casibus superius indicatis.

Tenor sexti
decreti.

§. 9. VII. Ut gradus præsentati, et magistri semper dignioribus conferantur, posthabitis omnibus humanis respectibus, et quoties aliquem horum graduum vacare contingat, definitorium uniuscujusque provinciae magistro generali unum, vel duos, quos digniores existimaverit, proponat ex quibus magister generalis eliget eum, quem magis idoneum judicaverit.

Tenor septimi
decreti.

§. 10. VIII. Ut ad munera lectoris, et prædicatoris conferenda, utantur provinciales jure suo ipsis ab ordinis constitutionibus attributo, quia ma-

Octavi decreti
tenor.

gistro generali super his electionibus deferre, aut ejus approbationem, vel suffragium exposcere teneantur, unam eligendorum idoneitatem, ingenium, virtutem præ oculis habentes.

Tenor noni decreti.

§. 11. IX. Ut in posterum decreta, sive acta capitularia, tam generalium, quam provincialium, si quæ ædenda sunt, hac methodo, et non aliter stabiliantur. Præses capituli vocalibus rem, de qua deliberandum est, distincte proponat. De hinc cætum dimittens unicuique vocalium præcipiat, ut scripto suffragium, et sententiam suam exponant, quam ipsi præsi, et capitulo cum christiana libertate patefaciet.

Tenor decimi decreti.

§. 12. X. Ut omnia superius statuta circa distributionem præmiorum, magisteriorum, præsentaturarum, lectionum, prædicationum, in Indiarum provinciis eodem jure serventur: nec non ea omnia, quæ feliciori ipsarum gubernationi conducibilia fore videantur, implorando regiam protectionem, si opus fuerit.

Tenor undecimi decreti.

§. 13. XI. Ut de cætero serventur ordinis constitutiones, atque si quod dubium circa earum aliquam suboriri contingat laudabilem, ac legitimam provinciarum praxim sequendam esse decernit.

Tenor duodecimi decreti.

§. 14. XII. Ut expressa in superioribus undecim decretis maximam futuris temporibus auctoritatem, et vim sentiantur, nec ullo pacto infringi, aut labefactari contingat, præcipit generale definitorium, ut reverendo admodum in Christo patri sanctæ Sedis apostolicæ legato tradantur; ut quandoquidem serenissimi regis Nostri mandato, hoc capitulum tamquam præses tanto honore affecit, catholicæ majestati suæ decreta, sive acta per manus ejusdem reverendissimi patris nota fiant: ipsoque serenissimo rege annuente, sanctæ Sedis apostolicæ approbationem, et confirmationem exposcat idem reverendissimus dominus. Quam quidem confirmationem capitulum humiliter efflagitat, identidem spondens, nunquam commissurum, ut ejus observantia violetur, aut nullo modo infringatur.

Supplicatio pro consequenda decretorum confirmatione.

§. 15. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, ut hujusmodi statuta, seu decreta serventur exactius, et firmiter subsistant, apostolicæ confirmationis Nostræ patrocínio communi summo opere desiderat; Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut sibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Bull. Rom. Tom. VI.

§. 16. Nos igitur fratres prædictos specialibus gratis, et favoribus prosequi volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, præinserta decreta, seu statuta auctoritate apostolica tenore præsentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robor adjuicimus. At cum fieri possit, ut aliquibus urgentibus de causis distributio, et quadripartita in præinsertis decretis, ac statutis ordinata locum sibi vindicare nequeat, tunc quod rata, ac fixa sit methodus in electionibus hujusmodi a memorato Clemente prædecessore stabilita auctoritate, et tenore prædictis edicimus, et mandamus.

Confirmatio apostolica.

§. 17. Decernentes has præsentis litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales etiam de latere legatos, et sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiti debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clausulæ adjunctæ, et irritantes

§. 18. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et litteris apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum inser-

Derogatio contrariorum.

tis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Ferrariæ sub annulo piscatoris die nona martii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCLXXIV.

Dat. die
9. aprilis
1782

Anno VIII.

Declarantur capitula IX. et XIII. instructionis Benedictinæ super immunitate ecclesiastica.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. **E**a est infirmitatis humanæ misera conditio, ut raro contingat, quæ hujus sæculi sunt, tam scite, tam prudenter constituta, quia brevi declarari, aut interdum etiam penitus reformari expectent, quod profecto in instructione a bonæ memoriæ Benedicto pp. XIV. prædecessore Nostro ad componendas, sedandasque nonnullas controversias, ac dissensiones super libertate ecclesiastica, ac materia beneficii inter ministros hujus apostolicæ sanctæ Sedis ex una, et officiales, ac ministros claræ memoriæ Caroli Emmanuelis, dum vixit, Sardinie regis illustris ex altera partibus vigentes confecta, et ad archiepiscopos, et episcopos in dictionibus temporalibus ipsi Carolo Emmanueli regi subiectis existentibus transmissa evenisse constat.

Tenor capituli
noni instru-
tionis Benedi-
ctinæ.

§. 2. Siquidem sicut Nobis nuper pro parte carissimi in Christo filii Nostri Victorii Amadei ejusdem Sardinie regis illustris expositum fuit, inter multa, quæ pro bono jurisdictionis, et immunitatis ecclesiasticæ a memorato Benedicto prædecessore Nostro conventa tunc fuere in paragrapho nono ejusdem instructionis sic disponitur = Essendo pur troppo cresciuta la malizia degli uomini, e desumendo i cattivi contro l'espresa intenzione de' sacri canoni, e delle costituzioni apostoliche facilità di commettere delitti per il pronto confugio alle chiese, ed a luoghi immuni, non goderauno per l'avvenire del beneficio dell'asilo tutti i seguenti.

Declaratur cui
beneficium

§. 3. Gli omicidi, non solo se

l'omicidio sia proditorio giusta il jus comune, e la Bolla Gregoriana, ma ancora se sarà appensato giusta la Bolla della sa. mem. di Benedetto XIII. che incomincia = Ex quo divina = non dovendo più godere del beneficio dell'asilo, se non chi commette omicidio casuale, o per propria difesa, cum moderamine inculpatæ tutelæ, estendendo Sua Santità ai dominj del re di Sardegna la Bolla = In supremo justitiæ solio della sa. me. di Clemente XII. = Gf' incendiarij, cioè coloro, che dolo malo, et data opera, metteranno, o faranno metter fuoco, o che scienter daranno ajuto, o consiglio a chi mettesse fuoco a qualunque chiesa, luogo sacro, o religioso; o a qualunque casa abitabile, sia tanto in città, e luoghi abitati, quanto fuori di essi; come altresì a tugurj costrutti ad instar domorum, soliti abitarsi da contadini, o pastori, o sopra gli armenti, e le greggie, alle vigne, seminati, oliveti, selve, o qualunque altro podere alberato, coltivato, e fruttifero. = I ricattatori, cioè a dire coloro, i quali conducono, e trasportano violentemente, o dolosamente, de loco ad locum uomini, e donne, ivi ritenendosi per obbligarli a riscattarsi; come altresì coloro, che per via di ambasciate, o lettere chieggono denaro, o altra cosa con minaccia di ammazzare le persone, o d'incendiare i beni di quelli, ai quali sono dirette in caso, che non facciano quel che chieggono. Coloro, che scienter, dolo malo, et animo nocendi compongono, vendono, e propinano il veleno, quantunque non sia seguita la morte della persona, e che voleva avvelenarsi, e nettampoco abbia la medesima in effetto per qualche fortunato accidente preso il veleno. Coloro, che fanno assassinare, o che per commissione data loro assassinano, o che a suddetti scellerati danno ajuto, o consiglio quantunque non vi sia seguita la morte, purchè deventum fuerit ad actum proximum, hoc est ad insultum, ita ut intervererit vulnus. I grassatori, e ladri di strade pubbliche, e vicinali, anche per la prima volta, che commettessero un tal delitto, quantunque senza alcuna offesa della persona del derubato. Coloro, che di notte aprono con chiavi false, o adulterine, con grimaldelli, ed altri strumenti le porte delle case, botteghe, fondachi, o magazzini, o pure che rompono, bruciano le suddette porte, o che entrano in tali suddetti luoghi per li tetti, o finestre, o per aperture fatte

asili sit inter-
dictum.

nelle muraglie, o rubano tanta quantità; per la qual cosa meritano secondo le leggi comuni, o municipali la morte. Così parimenti coloro, che in tempo di notte sotto nome di corte, o con falsi pretesti d'essere ministri della giustizia si fanno aprire dagli abitatori le porte delle case, ed ivi entrati rubano, o fanno violenza all'onestà delle donne di detta casa. I falsificatori di cedole, ossia fedeli di credito, o di altre scritture di pubblici banchi, come altresì coloro, che falsificano ordini, per mezzo de' quali in pregiudizio della pubblica fede esigono denaro da altri depositato ne' pubblici banchi. I mercatanti fraudolentemente decotti, i quali fingendo di essere falliti nascondono il loro avere in frode de' loro creditori. I regii tesoriери, ed i percettori generali, i quali ritenendo, o ricevendo danaro regio dagli ufficiali inferiori, o da altri debitori della regia camera per trasmetterlo alla cassa generale, commettono furto, o falsità in somma, che abbia luogo la pena ordinaria; così pure il cassiere maggiore, e gli ufficiali, e ministri de' pubblici banchi, che rubano da quelli il danaro in tanta quantità, che perciò debbano soggiacere alla stessa pena ordinaria. I conservatori dei pegni, e gli altri ufficiali, e ministri de' pubblici monti, che rubassero i pegni in tanta quantità da dover soggiacere alla medesima pena, e per ultimo coloro, i quali essendo pubblici cassieri delle università rubano il danaro dalla cassa pubblica nella stessa notabile, e punibile quantità. Tutti i delinquenti, o rei di delitto di lesa maestà, nel primo, e secondo capo. E nel secondo capo per quello, che appartiene ad offese personali fatte a ministri, ed ufficiali per ragion del loro officio debbano intendersi compresi coloro solamente, i quali facessero offesa personale, e non verbale a que' ministri, ed a quelli ufficiali, che amministrano giustizia, ed esercitano giurisdizione, comunicata loro immediatamente dal sovrano, e non già dagli utili padroni, e baroni de' luoghi. Coloro, che per forza estraggono, o fanno estrarre i rei dalla chiesa, o da qualsivoglia altro luogo immune. Coloro, che tanto nelle chiese, che nei cimiteri, o in qualunque altro luogo immune commettono omicidj, mutilazioni di membri, o qualsivoglia altro delitto, per cui de jure commuai intrat poena sanguinis, aut treremium, come altresì coloro, che usciti dalle suddette chiese, e luoghi immuni commettano i medesimi delitti; coloro, che

si abusano del confugio anche per la prima volta, si estraggono da quello d'ordine del vescovo, e d'ordine del medesimo si trasportino in altra chiesa, pel qual trasporto non possano essere molestati dalla curia secolare, sub poenis violatæ immunitatis, e s'intimi loro, che abusandosi del confugio per la seconda volta, sarà dichiarato dal vescovo, che non godono più veruna sorta d'immunità ecclesiastica, ed affinché da' vescovi possa farsi speditamente una tal dichiarazione sarà da Sua Santità concessa loro una volta per sempre la facoltà, affinché non debbano in ciascun caso, che potrà occorrere di doverne far uso, scriverne in Roma per ottenerla.

§. 4. Ac in paragrapho decimo tertio sic constituitur = Appartenendo, conforme di sopra si è detto, al vescovo di dichiarare, se il reo goda, o non goda del beneficio dell'immunità, e dovendo, come pure di sopra si è detto, lo stesso vescovo dentro il termine di un mese dal dì che gli sarà stato consegnato il processo dal giudice laico proferire la detta sentenza; inoltre potendosi dare il caso, che dentro il predetto mese non si proferisca dal vescovo la sentenza, o che nella discussione di queste cause ad istanza, o del fisco ecclesiastico, o del fisco laico sia d'uopo l'ordinare, che s'impingui il processo, o che si faccia un nuovo processo acciò la giustizia abbia libero il suo corso, e non sia esposta alle frequenti mutazioni de' giudici; la Santità di Nostro signore deputa monsignor arcivescovo di Torino dandogli ogni facoltà opportuna, e necessaria per decidere la causa, se non sarà stata decisa dal vescovo dentro il mese stabilito, come pure in caso di qualche differenza, che insorga per ordinar l'impinguazione del processo, o confezione del nuovo. Deputa pure, e dà le facoltà opportune, e necessarie al predetto monsignor arcivescovo, acciò possa ricevere le appellazioni dal giudicato del vescovo sopra il punto dell'immunità locale, costituendolo giudice nella detta materia di seconda istanza; e trattandosi di sentenza proferita dal predetto monsignor arcivescovo di Torino, da cui una delle parti volesse reclamare, o che la sentenza non fosse stata da esso proferita dentro il mese, o che in una causa pendente avanti di lui insorgesse qualche differenza, circa l'impinguare il processo, o farne un nuovo; il tutto si divolva al vescovo di Sa-

Tenor §. 13.
ejusdem in-
structionis.

luzzo, cui Sua Beatitudine conferisce tutte le facoltà opportune, e necessarie per essere giudice di seconda istanza in questi casi, come pure al vescovo d'Ivrea in caso di vacanza, o d'impedimento dell'arcivescovo di Torino, o del vescovo di Saluzzo. =

*Dubia excitata
super intelli-
gentia prædi-
ctæ instructio-
nis.*

§. 5. Cum autem sicut eadem expositio subungebat ex præinserto paragrapho nono dubitari possit, utrum rei violenti vi illata in publicam auctoritatem eximentes e justitiæ manibus detentos delinquentes immunitatis ecclesiasticæ beneficio frui, ac gaudere debeant, ac etiam non satis dare in præinserto paragrapho decimo tertio prævideatur casus, in quo causa de, ac super beneficio immunitatis ecclesiasticæ reorum ad ecclesiam confugentium ad archiepiscopum Taurinensem devoluta, ex quo episcopum juxta dictam instructionem iudex primæ instantiæ intra præscriptum mensem nullam protulerit sententiam, liceat a sententia archiepiscopi Taurinensis, quasi esset iudex primæ instantiæ ad episcopos, vel Salutiarum, vel Ipporegiensem appellare eodem prorsus modo, quo dum archiepiscopus Taurinensis est iudex primæ instantiæ disponitur, et alteri pariter casui non consulatur, in quo archiepiscopus Taurinensis iudex primæ instantiæ existens intra præscriptum mensem, nihil per sententiam declarans causa ad prædictos episcopos in iudices appellationis, ut præfertur, designatos devolvatur, num parti succumbenti altera competat appellatio. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

*Solutio dubio-
rum respicien-
tium §. 9.*

§. 6. Nos igitur qui nihil curamus impensius, quam ut justitia, et pax se se invicem osculentur, libentique animo, omnibus causis occurrimus, quæ compositas, ac sedatas dissentiones inter sacerdotium, et imperium restaurare possent, et piis ejusdem Victorii Amadei regis votis quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, motu proprio, ex certa scientia ac matura deliberatione Nostris deque apostolicæ potestatis plenitudine quoad præinsertum paragraphum nonum, quod deinceps rei violentæ exemptionis delinquentium e manibus publicæ potestatis ecclesiasticæ immunitatis beneficio non gaudebunt, sed quod sub dispositione dicti paragraphi noni instructionis Benedictinæ comprehensi sint, decernimus, ac declaramus, ac pro

majori securitate, et intelligentia, motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus statuimus eidem paragrapho hanc super præmissis Nostram voluntatem esse adiciendam = Che per togliere li dispareri, che si sono eccitati fra li ministri di sua maestà, ed alcuni delle curiæ ecclesiastiche de' reali dominj, Sua Santità dichiara, che il delitto di violenta estrazione di un delinquente dalle mani della giustizia si consideri in appresso fra gli eccettuati, e come tale compreso sotto la disposizione dell'articolo nono dell'istruzione pontificia, e conseguentemente, che tutti li rei di tale delitto non possano in avvenire godere del beneficio dell'asilo ecclesiastico =

§. 7. Quoad paragraphum porro decimum tertium totum id, quod in eo dispositum legitur in casu, quo archiepiscopus Taurinensis sit iudex primæ instantiæ in causa immunitatis ecclesiasticæ, de qua in dicto paragrapho ad casum etiam, in quo ad eundem archiepiscopum Taurinensem eadem causa de hac super immunitate ecclesiastica, ex defectu sententiæ intra mensem probatæ ab episcopo primæ instantiæ sit devoluta juxta legem dicti paragraphi extendimus, ac ampliamus; immo quatenus archiepiscopus Taurinensis in causis prædictis in prima instantia coram ipso vertentibus intra præscriptum mensem, ut præfertur, sententiam non proferret, tunc cum ad episcopos aut Salutiarum, aut Ipporegiensem causæ cognitio juxta totius memoratæ instructionis disposita devolveretur, ac proinde post alterutrum sententiam parti succumbens appellationis beneficio defraudata esset, quod in eadem instructione nullus iudex appellationis in hoc casu designatur, hinc parti appellanti liberum esse, alterum ex archiepiscopis, et episcopis in ditionibus temporalibus eidem Victorio Amadeo regi subjectis existentibus in iudicem appellationis eligendum, motu, scientia, deliberatione, et plenitudine, pariter volumus, statuimus, et declaramus.

Similis declaratio dubii exorti quoad intelligentiam §. 13.

§. 8. Decernentes has præsentis litteras, firmas, validas, et efficaces existere, et fore; suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit plenissime suffragari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri de-

*Clavula sub-
blata, et decre-
tum irritans.*

bere; ac irritum, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 9. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Viennæ in Austria sub annulo piscatoris die nona aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCLXXV.

Exemptio monasterii monialium civitatis Cordubensis ordinis Prædicatorum a jurisdictione fratrum ejusdem ordinis, cum subjectione episcopo Cordubensi.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **Q**uieti, et tranquillitati prudentum virginum, quæ ad cælestis agni nuptias vocatæ, spretis mundi illecebris, divini Numinis obsequiis se se manciparunt, paterna charitate consulere cupientes, sublimium principum votis libenter annuimus, ac pastoralis officii partes in id interponere non prætermittimus, sicuti expedire in Domino arbitramur.

§. 2. Nuper siquidem pro parte carissimi in Christo filii Nostri Karoli Hispaniarum regis catholici Nobis expositum fuit, nuper a dilectis in Christo filiabus priorissa, et monialibus monasterii sanctissimi Crucifixi civitatis Cordubensis ordinis fratrum Prædicatorum sibi significatum fuisse, quod cum ipsæ sub gubernio, ac administratione magistri prioris conventus sancti Pauli Cordubensis diocesis, ac magistri provincialis Vandalitiæ fratrum ordinis prædicti de præsentibus existant, quamvis eorum numerus secus tantum, ac in tractatis temporibus in tresdecim consistat, nihilominus a fratribus conventus, et ordinis prædictorum tum spirituale illarum regimen in verbum Dei evangelizando, et sacramentales confessiones excipiendo, cum etiam temporalis

bonorum ejusdem monasterii administratio subnexis distantia, ac exiguitas numeri fratrum, dicti conventus causis adeo despiciuntur, ut quod ex inde, et spirituale suarum animarum detrimentum, et regularis disciplinae imminutio, et aнови demum census dicti monasterii præjudicium profluat, omnino necessarium sit.

§. 3. Qua de re idem Karolus rex catholicus pro sua eximia, ac sane singulari pietate, ut temporali, ac spirituali præcipue earundem monialium utilitati efficaciter consulatur, dictum monasterium a superioritate, gubernio, et regimine fratrum ordinis Prædicatorum eximi, et liberari, illiusque curam, regimen, ac jurisdictionem episcopo Cordubensi pro tempore existenti, per Nos concedi plurimum desiderat.

§. 4. Nos igitur piis, ac laudabilibus ejusdem Karoli regis catholici votis quantum cum Domino possumus favorabiliter annuere volentes, ejusque pietatem, ac zelum in procurandis iis, quæ ad spirituale, ac temporale bonum dictarum monialium spectant, plurimum commendantes, supplicationibus ejus nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, dictum monasterium monialium ordinis fratrum Prædicatorum sanctissimi Crucifixi civitatis Cordubensis a quacumque cura, gubernio, regimine, et administratione, superioritate, ac jurisdictione fratrum ejusdem ordinis Prædicatorum conventus sancti Pauli, et magistri provincialis Vandalitiæ, aliorumque superiorum dicti ordinis auctoritate apostolica tenore præsentium perpetuo, ac omnino eximimus, et liberamus, dictumque monasterium, ejusque moniales visitationi, administrationi, correctioni, gubernio, regimini, et jurisdictioni venerabilis fratris nunc, et pro tempore existentis episcopi Cordubensis auctoritate, et tenore similibus perpetuo pariter supponimus, atque subicimus, ac pro supposito, et subjecto haberi volumus, et mandamus.

§. 4. Decretos has præsentibus litteras semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quocumque spectabit in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his

Derogatio derogationum.

Dat. die
18 aprilis
1782
Anno VIII.

Rex catholicus sua interponit officia, ut monasterium subiciatur jurisdictioni episcopi Cordubensis.

Pontifex gratiam indulget ad tramitea precum.

Proemium

Expositio precum porrectarum, quibus ratio concessionis enucleatur.

Clausula salutares, et irritantes.

a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio con-
trariorum.

§. 5. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis, nec non ordinis, et monasterii huiusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Viennæ in Austria sub annulo piscatoris die 18. aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCLXXVI.

Dat die
21 aprilis
1782
Anno VIII.

Confirmatio conventionis initæ ab episcopo Pisaurensi, et confraternitate s. Andreæ apostoli ejusdem civitatis super solutione scutorum mille erogandorum pro fabrica seminarii, et jure nominandi alumnum in ipso seminario.

Venerabili fratri episcopo Pisaurensi.

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem,
et apostolicam benedictionem

Proemium.

§. 1. In maximis universæ Ecclesiæ Nobis, licet imparibus meritis, divina miseratione commissæ sollicitudinibus, et curis non ultimum locum obtinet illa, quæ adolescentium instructionem respicit, ex qua totius vitæ confirmatio pendet, et disciplina, cum juxta sacræ Scripturæ oracula; *adole-scens qua via incæperit, etiam cum se-nuerit, non recedat ab ea: qua de re*

cum semper pro omnibus Christifidelibus simus impense solliciti, tum maxime curam, et cogitationem omnibus intendimus, ubi de illis agitur, qui in sortem Domini vocati ad sacra religionis ministeria peragenda institui debent, et erudiri. Ita clericorum seminaria tam pio, ac utili huic operi destinata, quarum uberti fructus in vineam Sabaoth in dies redundant, gratiæ nostræ favoris libenter prosequimur, et ad eorum incrementum magis, magisque promovendum proci sumus, et liberales.

§. 2. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii officiales, et confratres confraternitatis sub invocatione s. Andreæ apostoli civitatis Pisaurensis, quod tu, ut religiosæ Pisaurensis juventutis educationi a genitoribus neglectæ pastoralis solertia prospiceres, vix ad Pisaurensem ecclesiam regendam translatus, eo animum, et cogitationem omnem contulisti, ut seminarium restauraretur, et in ampliorem formam redigeretur, sed manu ad opus admotâ, deficiente pecunia, id perficere non potuisti: attamen ne providum tuum consilium suo defraudaretur effectu, eadem confraternitas, ut consultum esset incæpti ædificii prosecutioni, et juventutis educationi contractum tibi obtulit sequentibus sub conditionibus, nempe ipsa pro unica vice tibi eidem præbet mille scuta monetæ Romanæ in fabricam seminarii erogandam, sine onere restitutionis, servato tamen in sui favorem jure nominandi alumnum unum in dicto seminario gratis alendum sine præjudicio ejusdem seminarii, cum a nominationibus ab episcopo pro tempore faciendis una subtrahatur, et illa in compensationem mille scutorum præfactorum cedatur.

Expositio præ-
cæna.

§. 3. Ut autem mille scutorum huiusmodi traditio sequatur, debet dicta confraternitas censum constituere, pro cuius extinctione paratam se offert ad deponenda quotannis centum scuta similia ex superextantibus annuis redditibus biscentum et quinquaginta scutorum, quod depositum etiam de præterito fieri consuevit in extinctionem aliorum debitorum in præsens non excedentium summam mille septingentorum scutorum, juxta attestationem ratiocinatoris, licet in præteritum debitum esset decem mille scutorum; reliqua vero centum quinquaginta scuta impendenda esse decrevit in mantentionem de quinquennio in quinquennium duarum, vel trium puellarum in aliquo ex

Conditiones
voluntæ pro ob-
tinenda excep-
tionis contra-
ctus.

monasteriis monialium in civitate Pisaurensi existentibus, constituta etiam pro eisdem congrua dote consequenda, sive vitam claustralem ducere, sive in sæculo nubere velint, aliisque sub pactis, et conditionibus, prout in instrumento xxiii octobris MDCCLXXXI. desuper confecto, cujus tenorem præsentibus pro expresso haberi volumus, uberiorius continetur.

Preces porrectæ pro consequenda apostolica confirmatione contractus.

§. 4. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, quo contractus hujusmodi validam formam recipiat, et firmis subsistat, ac servetur exactius Nostrum, et Sedis apostolicæ in eo firmando beneplacitum reservatum fuerit. Nobis propterea iidem exponentes humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportune providere, ac ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 5. Nos igitur ipsos exponentes specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, ac eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. cardinalium, concilii Tridentini interpretum, qui relationem suam super præmissis ad eosdem cardinales transmissam attenderunt consilio, fraternitati tuæ per præsentem committimus, et mandamus, ut veris existentibus narratis, et postquam ita judicaveris expedire, supradictum contractum cum pactis, et conditionibus superius expressis in supradicto instrumento contentis, auctoritate Nostra apostolica pro tui arbitrio, et conscientia, gratis approbes, et confirmes.

Derogatio contrariorum.

§. 6. Non obstantibus apostolicis, ac universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis, edictis, constitutionibus, et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Viennæ in Austria sub annulo piscatoris die xxi. aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCLXXVII.

Indultum perpetuum gestandi aureum numisma pro sacerdotibus cappellæ electorali Monacensi inservientibus.

Dat. die
30 aprilis
1782
Anno VIII.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. In apostolicæ dignitatis specula meritis licet imparibus per ineffabilem divinæ bonitatis abundantiam constituti circa insignium ecclesiarum statum, personarumque in eis Altissimo assidue famulantium perpensis studiis jugiter intendimus, earumque decori, et ornamento paterna benignitate libenter consulimus, sicut omnibus matura considerationis trutina perpensis rationi consentaneum esse arbitramur.

Proemium

§. 2. Hinc est, quod Nos ad ea, quæ cappellæ electoralis Monacensis splendorem spectant, Nostræ providentiæ intuitum convertentes, ac dilectis filiis sacerdotibus eidem cappellæ inservientibus specialem gratiam facere volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus sacerdotes dictæ cappellæ electorali Monacensi inservientes nunc, et pro tempore existentes, quoadusque in hoc officio permaneant, aureum numisma cum imagine B.M.V. dictæ cappellæ patronæ ex una, et cum inscriptione ex indulto sanctissimi papæ Pii VI. die 26 aprilis MDCCLXXXII. ex altera parte, ita vero, ut illud ad levam pectoris ex nodulo serico cerulei coloris pendeat, tam in dicta cappella electorali, quam extra illam publice, ac privatim ubique deferre, illoque uti libere, ac licite possint, et valeant, auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus; illosque desuper a quoquam molestari, vel perturbari nullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

Tenor concessionis.

§. 3. Non obstantibus felicis recordationis Benedicti pp. XIV. prædecessoris Nostri super divisione materiarum,

Derogatio contrariorum.

aliisque constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, ac dictæ cappellæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Monachii sub annulo piscatoris die 30 aprilis 1782, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCLXXVIII.

Dat. die
30 aprilis
1782
Anno VIII.

Indultum militibus militaris ordinis sancti Georgii martyris Baviaræ clericali charactere insignitis utendi habitu prælatitio.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ratio concessionis.

§. 1. Quoniam inter militares equestres ordines, qui ad catholicam religionem juvandam, et ab iniuricis strenue defendendam instituti sunt, equestris militiæ ordo in honorem intemeratæ Deiparæ virginis Mariæ sub invocatione, et protectione beati Georgii martyris a bono meo Karolo Alberto duce Baviaræ, et Sacri Romani Imperii, dum vixit, principe, erectus, et apostolica auctoritate confirmatus insignem retinet locum, libenti animo in eam devenimus sententiam, nedum sex nobiles viros in ecclesiastica dignitate constitutos ad sacra officia, quæ in ecclesia dicti ordinis obeunda sunt, juxta tenorem literarum apostolicarum in simili forma Brevis a felicis recordationis Benedicto pp. XIV. die vi. octobris MDCCLI. expeditarum deputatos, sed etiam alios omnes dicti ordinis milites clericalem militiam sequentes novis honoribus, prærogativis, privilegiis accumulare, ut hisce gratiis devicti, quæ ad christianæ religionis tutelam, ac propagationem spectare dignoscuntur, alacrioribus, ac promptioribus studiis curent.


Tenor concessionis

§. 2. Nos igitur milites ordinis prædicti, qui clericalem militiam sequuntur nova, et ampliori prærogativa exornare, et donare volentes, eorumque singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa

latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati, ut deinceps perpetuis futuris temporibus omnes milites dicti ordinis tum sex officia ecclesiastica prædicta obtinentes, tum etiam alii, qui ecclesiasticam militiam sequuntur habitum prælatitium, idest vestem talarum oblongam cum mantello violacei coloris gestare, eoque uti cum omnibus prærogativis, privilegiis, gratiis, et præeminentiis, quibus prælati Nostri domestici utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, vel poterunt in futurum libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus; ac insuper dilecto etiam filio moderno, et pro tempore existenti ecclesiæ dicti ordinis præposito præter habitum prælatitium hujusmodi superpellicem quoque vulgo rocchetto deferendi plenam, et liberam facultatem tribuimus, et impertimur: eosque, et eorum quemlibet desuper a quoquam impediri, vel molestari aullatenus posse, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus.

§. 3. Non obstantibus fel. rec. Benedicti pp. XIV. prædecessoris Nostri super divisione materiarum, aliisque apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti ordinis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Monachii sub annulo piscatoris die trigesima aprilis millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

Derogatio contrariorum.



CCCLXXIX.

Dat. die
30. aprilis
1782
Anno VIII.

Erectio sedis episcopalis de Iviza.

Pius PP. VI.

Pius episcopus servus servorum Dei
ad perpetuam rei memoriam.

Proemium

§. 1. Ineffabilis Dei benignitas super universam terram admirabilis, qua fideles suos clementer prospiciens, suasque miserationes in eis satis spargere desiderans non semel se demonstrat magnopere propitiam. Hoc vero potissimum Nostris hisce evenit temporibus, ut quod pest tot armorum curriculum ab inculis illarum partium erat peroptatum, tandem per eximium catholicorum præsulum studium, et per proprias postpositas commoditates, paternamque dilectionem, nec non singularem regalium principum pietatem, et præcipuum erga subditos suos amorem haud dubitatur prompte sit consequuturum. Nos itaque hujusmodi fretis auxiliis, quod eisdem regalibus principibus, ipsisque catholicis præsulibus gratum, ac orthodoxæ religioni valde proficuum fore speramus, exequi non prætermittimus, prout arbitramur in Domino utiliter convenire.

Expositio præ-
cum porrecta-
rum pro asse-
quenda ere-
ctione Sedis
episcopalis.

§. 2. Cum itaque Nobis dilectus filius Hieronymus dux de Grimaldi charissimus in Christo filii Nostri Caroli Hispaniarum regis catholici apud Nos, et Sedem apostolicam orator, mandato, et nomine ipsius Caroli regis exposuerit, incolas insularum de Iviza et de Formentera vulgo nuncupatarum Tarraconensis diocesis non semel enixis precibus id a se postulasse, quod jampridem apud claræ memoriæ prædecessores Hispaniarum reges sæpenumero assequi contenderunt, nempe ut in iis locis una episcopalis sedes constitueretur, cujus antistes quæcumque ad animarum salutem pertinerent præsentia, auctoritate, vigilantiaque sua curare posset. Allatæ hujusce eorum desiderii causæ tales sunt, ut quemadmodum dicti Caroli regis, ita piissimum animum Nostrum commovere summopere debeat.

Ratio conces-
sionis.

§. 3. Etenim per Mediterraneum mare a Gaditano freto venientibus primæ eæ occurrunt insulæ, quæ archiepiscopo Tarraconensi subsunt. Hinc maiorum fons, et origo. Nam longus interjecti maris tractus valde formidolosus est navigantibus non modo propter tempestates unde crebra naufragia exoriuntur, sed etiam propter prædonum im-

petus, vim, et excursiones. Inde fit ut archiepiscopi Tarraconenses, quamvis optaverint, tamen pertimuerint a multo tempore committere se itineri valde periculoso, ut ad hanc gregis sui partem, et visendam, et alendam accederent.

Exponuntur
incomoda,
quæ promanant a defectu
Sedis apostolice
in insulis.

§. 4. Hæc autem eorum longinquitas, et absentia in causa est, quod eorundem insularum incolæ multis ad salutem subsidii non sine gravi animarum et mœrore et detrimento destituantur. Siquidem eorum plerique utriusque sexus, et cujuscumque ætatis sine confirmationis sacramento moriuntur; cleri populique mores si minus compositi aut corrupti sint non comprimuntur satis, aut emendantur, si probi et honesti, non habent unde in melius possint assurgere; sed hæc fortasse leviora, illud gravissimum est non adesse, qui pro sua auctoritate speculetur, et provideat an de rebus fidei orthodoxæ sacris ritibus, et cæremoniis, an de iis quæ ad salutem spectant satis atque ut par est incolæ instruantur, an denique in omnibus etiam vivendi sit ratio quæ catholicum hominem deceat.

§. 5. Præsens archiepiscopus Tarraconensis non modo a principio archiepiscopatus sui; sed etiam nuperrimè libenterque consensit præfatarum insularum a sua archidiocesi sejunctioni prout ab instrumentis patet; idemque testatus est annuos redditus, qui inde sibi proveniebant ad quinquaginta millia septingenta quinque regalia, et triginta maravedis monetae de Vellon ascendere.

Consensus archiepiscopi
præstitus pro
segregatione
facienda.

§. 6. Novit quoque dictus Carolus rex insulam de Iviza longitudinis viginti tria, latitudinis quatuordecim, circuitus vero numerare octoginta millia passuum. In ea oppidum est primum quod hactenus villa de Iviza nuncupatum fuit, modo tamen de consilio regis cameræ rex ipse civitatis nomine et honore honestavit. In ipsa quædam nobiles numerantur familiæ vel saltem pro nobilibus habentur. Tota insula in septem dividitur partes seu pagos, quos illi quartones vocant: universim bismille quingentæ recensentur domus, incolæ duodecim mille septingenti, ut septem pagi totidem sunt ecclesiæ, filiales tamen et dependentes ab unica ecclesia parochiali, quæ est in oppido sub titulo sanctæ Mariæ Majoris; in quo extat præterea ordinis fratrum Prædicatorum nuncupatorum cœnobium monialium ordinis sancti Augustini; collegium extinctæ et suppressæ societatis Jesu, et tria oratoria,

Exponitur
quæ sit præ-
stantia oppidi
de Iviza.

seu ædiculæ. Proxima insulæ de Iviza est altera de Formentera dicta; ab illa enim distat duo passuum millia. Hæc porro insula leucas tres longa, et lata unam domos numerat octoginta, et incolas quadringentos, neque deest ecclesia parochialis, quæ filialis est alius de Iviza. Igitur in oppido nunc jure civitatis donato sedes episcopalis collocanda videtur, et parochialis ecclesia in cathedralem erigenda, retentura tamen eundem, quem nunc habet titulum sanctæ Mariæ.

Describitur
amplitudo tem-
pli erigendi in
cathedralem.

§. 7. Porro templum hoc parochiale amplitudinis satis habet, quippe quod in longum triginta tres ulnas, et pedem unum Hispanicum; in latum vero pedem unum præter ulnas quatuordecim extenditur. Ad hoc numerantur in ipso duodecim sacella, ex quibus si duo excipiantur paulo angustiora hinc inde ab introitu templi novem sunt longa ulnas quinque, lata quatuor: ultimum decem ulnas excedit. Denique conjunctum sacrarium admodum capax, et sacra cujusque generis suppellectili satis instructum.

Supprimitur
archidiaconatus
ecclesiæ
Tarraconensis,
illiusque bene-
ficio novo capitulo
assignantur,
una cura præ-
positura cum
cura anima-
rum.

§. 8. In metropolitana ecclesia Tarraconensis per obitum quondam Joannis Arenij jam ab anno Domini 1777. extra Romanam curiam defuncti vacare archidiaconatum sancti Fructuosi nuncupatum, qui inibi non tamen post pontificalem major, sed quarta dignitas existit; itaque percommodum et saluberrimum foret archidiaconatum hujusmodi suppressere et extinguere, ejusque redditus perpetuo assignare, et attribuire novo capitulo instituendo, et dotando. Denique cum dilectus etiam filius Josephus Bertran præpositus cum cura animarum in laudata parochiali ecclesia de Iviza paratissimus sit, dummodo alia sibi conferatur præbenda dictam parochialem ecclesiam præposituram nuncupatam ultro dimittere, ut illius redditus in novæ cathedralis commodum perpetuo cedant. Idcirco ipse Carolus rex onus in se recipit providendi, ut dicti Josephi res rationesque in tuto esse possint. Misce itaque causis et rationibus permotus dictus Carolus rex pro suis constanti in Deum pietate, et in populos sibi subjectos amore, ac studio e re christianæ religionis esse putavit incolarum prædictorum preces apud Nos juvare, et patrocinari, ut constituta ibidem episcopali cathedra tot, tantisque malis remedium opportunum afferatur. Hinc dictus Hieronymus dux de Grimaldi ad transmissas ab ipso Carolo rege approbate sibi transmissæ instructionis, nomine prædicti Caroli regis Nobis humiliter

supplicaverit, quatenus erectionem hujusmodi, aliaque infrascripta concedere dignaremur.

§. 9. Nos igitur religiosa dicti Caroli regis desideria prosequi volentes motu proprio, et ex certa scientia, deque apostolicæ potestatis plenitudine ab archiepiscopatu Tarraconensi prædictas duas insulas de Iviza et de Formentera de consensu venerabilis fratris nostri moderni archiepiscopi Tarraconensis ad effectum in dicta insula de Iviza unum episcopatum erigendi de super præstito, apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo dismembramus et separamus, ac prædictum archidiaconatum sancti Fructuosi nuncupatum dictæ metropolitane ecclesiæ per obitum, ut præfertur, vacantem, nec non parochialem ecclesiam præposituram nuncupatam prædictam per liberam dimissionem dicti Josephi fratris in manibus ordinarij loci sponte factam, seu in eisdem manibus de proximo ad effectum infrascriptæ erectionis faciendam etiam vacantem, seu vacaturam, sive præmisso, sive alio quovis modo, aut ex aliorum quorumcumque personis archidiaconatum prædictum per resignationem dicti Joannis, et quoad parochialem ecclesiam prædictam per singularem, vel aliam liberam dimissionem dicti Josephi, vel quorumvis aliorum de illo, et illa in dicta curia vel extra eam etiam coram notario publico et testibus sponte factas, aut quoad parochialem ecclesiam prædictam constitutionem recolendæ mem. Joannis papæ XXII. prædecessoris Nostri, quæ incipit =Excelsis= vel tam quoad illam, quam archidiaconatum prædictum assequitionem alterius beneficii ecclesiastici quavis auctoritate collati, et quoad parochialem ecclesiam prædictam, non tamen per obitum vacant, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio juxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem apostolicam legitime devoluta, dictusque archidiaconatus, ac parochialis ecclesia prædicta dispositioni apostolicæ specialiter reservatus, seu reservata existat, et super eo et ea inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso pendeat indecisa, dummodo tempore datæ præsentium non sit in eo, seu ea alicui specialiter jus quæsitum cum illis annexis, ac omnibus juribus, et pertinentiis suis quoad dictum archidiaconatum, et quatenus dimissio dictæ hujusmodi sit facienda, et admittenda, ex nunc prout ex tunc, et contra, illorumque respective titulum collativum, ita quod ex nunc ille collativus

Segregatio insularum de Iviza, et Formentera a diocesi Tarraconensi et erectio novæ diocesis.

et illa collativa esse desinant, et de cetero uti tales in titulum collativum quavis auctoritate conferri, aut impetrari vel alias de illo et illa, et quoad parochialem ecclesiam prædictam etiam prævio concursu disponi nullatenus unquam possit, et si illum et illam deinceps conferri et impetrari, aut alias de illo et illa quovis modo disponi contigerit, collationes, provisiones, impetrationes, et quævis aliæ dispositiones de illo et illa quomodolibet faciendæ nullæ et invalidæ, nulliusque roboris vel momenti existant, neminique suffragentur, nec cuiquam coloratum titulum possidendi tribuant dicta apostolica auctoritate etiam perpetuo supprimimus et extinguimus.

Villa de Iviza civitas declaratur, ibique ecclesia cathedralis erigitur.

§. 10. Ac villam ipsam de Iviza jam ab eodem Carolo rege regali ejus diplomate in civitatem declaratam, in civitatem episcopalem de Iviza nuncupandam cum omnibus juribus, honoribus, et prærogativis, quibus aliæ civitates pontificali Sede insignitæ in Hispaniarum regnis utuntur et gaudent, ac prædictam parochialem ecclesiam in dicta insula de Iviza sitam in cathedralem ecclesiam de Iviza nuncupandam sub invocatione s. Mariæ pro uno deinceps episcopo de Iviza, qui eidem ecclesiæ, illiusque civitati, et diœcesi etiam de Iviza, ut infra assignandæ præsit, dictamque parochialem ecclesiam in forma ecclesiæ cathedralis redigat, et in ea duas dignitates, unam videlicet post pontificalem maiorem archidiaconatum, et secundam cantorum respective nuncupandas, nec non sex canonicatus, totidemque præbendas, quarum priores tres magistralis, et pœnitentiaria, et curata; et reliqui tres posteriores de gratia respective nuncupari debebunt; nec non, ut futurus et pro tempore existens episcopus de Iviza omnimodam liberam et plenam jurisdictionem, auctoritatem, et potestatem, prout juris est, etiam super capitulo et clero suæ diœcesis absque ulla classium distinctione semper exercere; sicut etiam cetera omnia munera, et actum ordinis tum jurisdictionis, prout alii episcopi tam in eisdem Hispaniarum regnis, dictique archiepiscopi Tarraconensis suffraganei existentes, quam alibi ubicumque constituti episcopi in suis ecclesiis, civitatibus, et diœcesibus de jure, vel consuetudine, aut alias quomodolibet ex privilegiis, gratiis, et indultis, ac dispensationibus apostolicis quæcumque fuerint etiam per literas apostolicas desuper nominatim, et in specie concessa, et expressa fuissent in sua diœcesi de Iviza facere, gerere, et exer-

cere libere, et licite possit, et debeat cum sede, mensa, aliisque insigniis episcopabilibus, nec non præminentiss, honoribus, privilegiis, immunitatibus, et gratiis spiritualibus, et temporalibus, realibus, et mixtis, quibus cæteræ cathedrales ecclesiæ regnorum Hispaniarum hujusmodi similiter de jure, vel consuetudine, aut speciali privilegio, seu indulto apostolico, aut alias quomodolibet utuntur, potiuntur, et gaudent, ac uti, potiri, et gaudere poterunt de apostolicæ potestatis plenitudine, eadem apostolica auctoritate etiam perpetuo respective erigimus, et instituimus, ac sic erectam, et institutam suffraganeam archiepiscopo Tarraconensi, eique metropolitico jure perpetuo subiectam declaramus.

§. 11. Ac prædictas duas insulas de Iviza et de Formentera a diœcesi Tarraconensi per Nos, ut præfertur, dismembratas, et separatas, ac omnes et singulas utriusque sexus, et in eis respective degentes personas et incolas tam laicos quam clericos, presbyteros beneficiatos, ac religiosos cuiuscumque status, gradus, ordinis, et conditionis existant ab ordinaria (non tamen metropolitana) jurisdictione, potestate, et superioritate moderni et pro tempore existentis archiepiscopi Tarraconensis dicta apostolica auctoritate perpetuo quoque disjungimus et eximimus; nec non prædictam villam de Iviza in civitatem, ut præfertur, in episcopalem sedem per Nos, ut præfertur, erectam; nec non sic etiam per Nos, ut præfertur, dismembratam et separatam insulam de Formentera, et in eis nunc, et pro tempore respective degentes personas superius expressas dictæ ecclesiæ episcopali de Iviza, illiusque futuro episcopo pro suis civitate, territorio, diœcesi, clero, et populo; ita quod liceat personæ eidem ecclesiæ de Iviza per Nos, ut præfertur, erectæ, et institutæ tam nunc a primæva illius erectione, et institutione hujusmodi, quam deinceps pro tempore quomodolibet pastoris solatio auctoritate præficiendæ per se, vel alium, seu alios ejus nomine veram, realem, actualem, et corporalem possessionem, seu quasi regimini spiritualis, et omnimodi juris diœcesani in dicta civitate de Iviza, ac in eodem territorio per Nos, ut præfertur, dismembratis, et separatis propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam perpetuo retinere ejusdem moderni, et pro tempore existentis archiepiscopi Tarraconensis, vel cujusvis alterius licentia desuper minime requi-

Constituatur jurisdictione moderni episcopatus.

sita apostolica auctoritate prædicta similiter perpetuo assignamus, et respective subiiciamus.

Præfuitio dotis mensæ episcopalis, et ecclesiæ cathedralis.

§. 12. Mensæ autem episcopali de Iviza per Nos, ut præfertur, erectæ pro illius dote et congrua, ac sufficienti futuri episcopi de Iviza sustentatione, ac onerum prædicto episcopo de Iviza pro tempore existenti pro tempore incumbentium supportatione providere volentes, attento consensu prædicti moderni archiepiscopi Tarraconensis desuper, ut præfertur, præstito summa quinquaginta duorum millium septingentorum quinque regalium, et triginta maravedis monetæ de Vellon, quam exceptis binis insulis retrahit dictus modernus archiepiscopus Tarraconensis integre, et sine ulla diminutione; ita quod liceat eidem futuro et pro tempore existenti episcopo de Iviza dictam summam exigere, illamque sic exactam percipere, levare, ac in suos, et dictæ mensæ episcopalis, ut præfertur, erectæ usus, et utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita eadem apostolica auctoritate pariter perpetuo assignamus, atque statuimus. Futuræ vero mensæ capitulari dictæ cathedralis ecclesiæ de Iviza per Nos, ut præfertur, erectæ pro illius fundo et dote dictorum archidiaconatus, et cantoratus, ac prædictorum sex canonicatum, totidemque præbendarum per Nos, ut præfertur, erectorum et erectarum, aliorumque ministrorum manutentione omnes et singulos dicti archidiaconatus per Nos, ut præfertur, suppressi et extincti, ac prædictæ parochialis ecclesiæ etiam per Nos in eventum prædictum suppressæ et extinctæ, ac septuaginta octo perpetuorum simplicium, et personalem residentiam non requirentium beneficiorum ecclesiasticorum forsam omnium, seu partim illorum vacantium, aut vocatorum in diversis ecclesiis diocesis Tarraconensis respective existentium, non tamen illorum ex quinquaginta duobus beneficiis ecclesiasticis, in recentibus concordatis comprehensorum prævia tamen, ex nunc seu ex nunc, prout ex tunc, et e contra illorum, et cujuslibet eorum respective tituli collativi suppressione, et extinctione respective fructus, redditus, et proventus, supportatis tamen per futurum capitulum ejusdem cathedralis ecclesiæ de Iviza per Nos, ut præfertur, erectæ, et institutæ illorum respective oneribus, si quæ sint, nec non summam novem millium triginta quinque regalium, et decem maravedis monetæ illarum partium, quam populus dictæ villæ de Iviza, in

civitatem, ut præfertur, declaratæ, et per Nos in episcopalem sedem, ut præfertur, erectæ, pro hujusmodi dotatione assignat; ita quod etiam liceat futuris et pro tempore existentibus archidiacono, et cantori, ac sex canonicis dictæ cathedralis ecclesiæ de Iviza, per Nos ut præfertur erectæ, et institutæ eorum, ac dictæ mensæ capitularis nomine, dicti archidiaconatus per Nos, ut præfertur, suppressi, et extincti, ac prædictæ parochialis ecclesiæ, etiam per Nos in eventum prædictum, ut præfertur, suppressæ et extinctæ, ac septuaginta octo beneficiorum istorum, etiam per Nos, ut præfertur, suppressorum, et extinctorum respective honorum, rerum, proprietatum, actionum, jurium, obventionum et emolumentorum quorumcumque respective veram, realem, actualem, et corporalem possessionem per se, vel alium, seu alios, eorum ac dictæ mensæ capitularis respective nominibus propria auctoritate libere apprehendere, et apprehensam etiam perpetuo retinere, illorumque respective fructus, redditus, et proventus, obventiones, et emolumenta quæcumque, ac summam prædictam eisdem futuris, et pro tempore existentibus archidiacono, et cantori, ac sex canonicis prædictis ab eodem populo dictæ villæ de Iviza in civitatem, ut præfertur, declaratæ, et per Nos in episcopalem sedem, ut præfertur, erectæ assignatam respective percipere, exigere, levare, ac bona, res, et proprietates hujusmodi locare, dislocare, arrendare, administrare, ac in eorum, et cujuslibet eorum respective usus, et utilitatem convertere, diocesanæ loci, et cujusvis alterius licentia desuper minime requisita eadem apostolica auctoritate perpetuo quoque applicamus et assignamus.

§. 13. Ulteriore vero dispositionem, et dotationem dignitatum, canonicatum, præbendarum, et beneficiorum ecclesiasticorum, ac officiorum quorumcumque, prout dictarum iusularum populorum, ejusque curam, et ecclesiasticæ disciplinæ profectum requirere contigerit, arbitrio episcopi de Iviza pro tempore existentis, prævio tamen regis catholici, ejusque successorum Hispaniarum regum catholicorum consensu pari apostolica auctoritate reservamus, et quoties cantoratum, ac canonicatum, magistralem ac pœnitentiariam, ac alias de gratia, ut præfertur, respective nuncupandas præbendas per Nos, ut præfertur, erectum, ac erectas, et erectas in quatuor anni mensibus ordinario loci reservatis

Dotatio dignitatum, et canonicorum arbitrio episcopi relinquatur.

respective vacare contigerit, quod illius, et illorum, ac illarum respective provisiones ad futurum, et pro tempore existentem episcopum de Iviza spectet.

Præferuntur mo-
dos adhiben-
des in provi-
sione præben-
dæ cum cura
animarum, et
quæ indumen-
ta a canonicis
sint gestanda.

§. 14. Quo vero ad canonicatum curatam nuncupandam præbendam, si in mensibus Sedi apostolicæ reservatis vacaverit, quod post obitum ab eodem ordinario loci ad formam decretorum concilii Tridentini concursum, trium in dicto concursu, magis approbatorum elenchus dicto Carolo regi, ejusque successoribus Hispaniarum regibus catholicis, sit transmittendus apostolica auctoritate prædicta declaramus. Ac futuris, et pro tempore existentibus capitulo, et canonicis dictæ cathedralis ecclesiæ de Iviza per Nos, ut præferatur, erectæ, et institutæ, ut ipsi eadem prorsus indumenta choralia, signa, et insigna quæcumque, tam in dicta cathedrali ecclesia de Iviza per Nos, ut præferatur erecta, et instituta, quam extra eam, et tam in processibus, quam aliis actibus, et functionibus quibuscumque publicis, et privatis, etiam extra dictam civitatem de Iviza, et ubique locorum, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis, etiam in præsentia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, etiam de latere legatorum, vice-legatorum, archiepiscoporum, episcoporum, et aliorum quorumcumque, ac etiam in ipsius cathedralis ecclesiæ de Iviza per Nos, ut præferatur erectæ, et institutæ choro, et capitulo quibuscumque anni temporibus, et diebus deferre, et gestare, ac quibusvis aliis indultis, privilegiis, exemptionibus, et gratiis, quæ cæteris aliis capitalis, et canonicis aliarum ecclesiarum cathedralium dicto archiepiscopo Tarraconensi jure subjectarum, tam in limine earum respective erectionis, quam subinde etiam per litteras apostolicas nominatim, et in specie reperiuntur concessa, etiam si talia sint, quæ specialem notam, et mentionem requirant, pariformiter uti, et gaudere respective libere, et licite possint apostolica auctoritate prædicta perpetuo quoque concedimus, et indulgemus.

Consultitur ju-
risdictioni epi-
scopali pro
tempore vacan-
tibus Sedi ob
mortem episco-
pi.

§ 15. Ac etiam quoties dictam sedem episcopalem de Iviza per Nos, ut præferatur, erectam, et institutam contigerit, ut in ordinariam jurisdictionem succedat, capitulum dictæ cathedralis ecclesiæ de Iviza per Nos, ut præferatur, erectæ, et institutæ, quo in omnibus, et per omnia juxta formam a prædicto concilio Tridentino præscri-

ptam unus tantum vicarius diocesis regimen exercere, et concursus ad beneficia curata, ad tramites dictorum recentium concordatorum, habere omnino teneatur apostolica auctoritate prædicta decernimus.

§. 16. Ac insuper eidem Carolo regi, ejusque successoribus Hispaniarum regibus prædictis juspatronatus, et præsentandi Nobis, et Romano pontifici pro tempore existenti personam idoneam ad eandem ecclesiam de Iviza per Nos, ut præferatur, factis hujusmodi pastoris solatio destitutam, quam deinceps quoties illam quovis modo etiam apud Sedem apostolicam etiam pastoris solatio destitui contigerit, per Nos, et Romanum pontificem pro tempore existentem prædictum in ipsius ecclesiæ de Iviza, ut præferatur, erectæ, et institutæ episcopum, et pastorem ad præsentationem eandem præficiendum, ac aliud juspatronatus præsentandi vigore dictorum recentium concordatorum, tam ad dictum archidiaconatum dignitatem post pontificalem majorem, quam ad cantoratam ac canonicatus, et præbendas hujusmodi, ut præferatur, erectos, et erectas, ac cappellanas, aliaque beneficia, et officia ecclesiastica in ipsa ecclesia de Iviza per Nos, ut præferatur, erecta, et instituta pro tempore ordinaria auctoritate prædicta erigendas, et erigenda, et quovis modo pro tempore, ac etiam apud Sedem apostolicam prædictam sive per obitum, sive a primæva illarum, et illorum respective erectione vacaturas, et vacatura in eis ad præsentationem hujusmodi dicta ordinaria auctoritate itidem perpetuo reservamus, concedimus, et assignamus. Decernentes juspatronatus præsentandi tam ad dictam ecclesiam de Iviza per Nos, ut præferatur, erectam, et institutam quam ad cappellanas, ac beneficia, et officia ecclesiastica ordinaria auctoritate prædicta erigendas, et erigenda hujusmodi regim existere, illudque eidem Carolo regi, ejusque successoribus Hispaniarum regibus prædictis competere, ac vim, effectum, naturam, substantiam, essentiam, qualitatem, validitatem, et roboris firmitatem juspatronatus regij hujusmodi obtinere, et uti tale sub quacumque derogatione etiam cum quibusvis præquantissimis, et efficacissimis clausulis, et decretis in quacumque dispositione etiam per viam legis consuetudinis regniæ cancellariæ apostolicæ, aut alias quomodocumque facta nullatenus comprehendi, neque illi ullo unquam tempore, et ex quavis causa, seu qua-

Juspatronatus
regi Hispania-
rum, et ejus
successoribus
conceditur.

cumque ratione etiam per Sedem apostolicam prædictam etiam consistorialiter derogari posse, nec derogatum esse censi nisi ipsius Caroli regis, ejusque successorum Hispaniarum regum præfatorum ad id expressus accedat assensus, et si aliter quovis modo derogetur, derogationes ipsæ cum inde sequentibus quibuscumque nullius roboris, vel momenti fore, ac de cetero quascumque collationes, et provisiones de dicta dignitate post pontificalem majori, ac cantoratu ac canonicatibus, et præbendis prædictis per Nos, ut præfertur, erectis, et institutis, ac de cappellanis prædictis, aliisque beneficiis, et officiis hujusmodi dicta ordinaria auctoritate erigendis hujusmodi absque prævia ipsius Caroli regis, ejusque successorum Hispaniarum regum prædictorum præsentatione, aut consensu pro tempore quomodolibet factas nullas, et invalidas, ac irritas, et inanes esse, nullique suffragari debere, nec per eas cuiquam jus acquiri, vel etiam coloratum titulum possidendi tribui posse.

Clausulæ salutaris, et irritantes.

§. 17. Ac easdem præsentibus semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, et singulis ad quos nunc spectat, et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere, ac nullo nunquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet causa quantumvis juridica, et legitima, pia, et privilegiata, etiam ex eo quod causæ propter quas eadem præsentibus emanarunt adductæ, verificatæ, et justificatæ non fuerint de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis, vel invaliditatis vitio, aut intentionis Nostræ, vel quopiam alio quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, inexcogitato, inexcogitabili, ac speciale, et individuum, ac expressam mentionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in præmissis, eorumque aliquo solemnitates, et quævis alia servanda, et adimplenda, servata, et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure, vel facto seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimæ, totalisque læsionis, aut quocumque alio colore, prætextu, aliaque ratione, vel causa etiam quantumvis justa, rationabili, legitima, juridica, pia, privilegiata, etiam tali quæ ad effectum validitatis præmissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostræ, et aliis superius expressis nullibi apparet, seu alias probari posset, notari, im-

pugnari, invalidari, retractari, in jus, vel controversiam vocari, ad viam, et terminos juris reduci, aut adversus illas restitutionis in integrum, apetitionis oris, reductionis ad viam, et terminos juris, aut aliud quodcumque juris, vel facti, aut gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concessio, et impetrato, vel emanato quempiam uti, seu se juvari in iudicio, vel extra illud posse, neque easdem præsentibus sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas, et constitutiones apostolicas, aut cancellariæ apostolicæ prædictæ regulas quodcumque etiam in crastinum assumptionis Nostræ, et successorum Nostrorum Romanorum pontificum ad summi apostolatus apicem etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter ex quibuslibet causis, et sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, et formis, ac cum quibusvis clausulis, et decretis, etiam si in eis de eisdem præsentibus, earumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat editas, et imposterum edendas comprehendendi, sed etiam semper, et omnino ab illis excipi, et quoties illæ emanabunt toties in pristinum, et validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas fore, et esse.

§. 18. Sicque, et non alias per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, vicelegatos, dictæque Sedis nuncios prædictos, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, prærogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et præeminentia fulgentes, sublata eis, et eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque iudicio, et in quacumque instantia iudicari, et definiri debere, irritumque, et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Ac demum ad hoc, ut præmissa omnia sic per Nos, ut præfertur, disposita juxta piissimam dicti Caroli regis vota perpetuo, felicique successu suos sortiri valeant effectus motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus personæ in dignitate episcopali constitutæ ab eodem Carolo rege nominandæ, seu cuicum-

Decretum irritans.

que alteri ecclesiasticæ personæ in ejus locum sufficiendæ ipsi tamen Carolo regi gratæ, et acceptæ per præsentem committimus, et eadem apostolica auctoritate mandamus, ut ipsi videlicet persona in dignitate episcopali, ut præfertur constituta, et ab eodem Carolo rege nominanda, seu quævis alia ecclesiastica persona in ejus locum sufficienda ipsi Carolo regi grata, et accepta easdem præsentem debitæ executioni demandet, easque ab omnibus, et singulis ad quos spectat, et pertinet observari faciat.

Privilegia ecclesiam cathedralis nuper erectæ.

§. 19. Ac futuris, et pro tempore existentibus capitulo, et canonicis dictæ cathedralis ecclesiæ de Iviza sic per Nos, ut præfertur, erectæ, et institutæ, ut ipsi pro ejusdem cathedralis ecclesiæ de Iviza sic per Nos, ut præfertur, erectæ, et institutæ, illiusque reddituum præfatorum, ac sacristiæ, et fabricæ, earumque rerum, et honorum præsentium, et futurorum tam spiritualium, quam temporalium regimine, gubernio, et directione dignitatum canonicatum, capellaniarum, aliorumque ministrorum, et officialium deputatione, et operum eis pro tempore incumbentium supportatione missarum, horarum canonicarum diurnarum pariter, et nocturnarum, aliorumque divinarum officiorum, funeralium, et anniversariorum celebratione personali residentia præstanda, ac distributionum etiam quotidianarum, siquæ fuerint imposterum repartitione, divisione, pœnarum per absentes, ac divinis officii, et functionibus suis loco, et tempore non interessentes, ac ministeria eis respective incumbencia subire negligentes incurrendarum impositione singulorum præsentium et absentium notandis cœremoniis, et functionibus in dicta cathedrali ecclesia de Iviza sic, ut præfertur, erectæ et institutæ, illiusque choro capitulo et processionibus, aliisque actibus servandis, nec non ministris ejusdem cathedralis ecclesiæ de Iviza sic, ut præfertur, erectæ, et institutæ deputandis et amovendis salariis, et stipendiis, eorumque cuilibet assignandis, et quibusvis aliis rebus in præmissis, et circa præmissa quomolibet necessariis, et opportunis, quæcumque statuta et ordinationes, capitula et decreta licita tamen, et honesta, ac sacris canonibus, et constitutionibus apostolicis, ac concilii Tridentini decretis minime contraria, ac alias ad tramites statutorum metropolitanæ ecclesiæ Tarraconensis concedere et edere possint, et valeant facultatem, potestatem, et auctoritatem dicta apo-

Bull. Rom. Tom. VI.

stolica auctoritate etiam perpetuo concedat, et impartiat.

§. 20. Non obstantibus Nostris, et cancellariæ apostolicæ prædictæ regulis de jure quæsito non tollendo, ac de applicationibus ad partes transmittendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore, nec non Lateranensis concilii novissime celebrati uniones perpetuas nisi in casibus a jure permisis fieri, et ab ecclesiis membra distingui, ac dividi prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis decretis in genere, vel in specie, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine paribus concessis, et concedendis: quibus omnibus et singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales, idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata etiam inserti forent eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime ad præmissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune et valide hac vice dumtaxat motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus harum serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Derogatio contrariorum.

§. 21. Volumus autem quod eorumdem præsentium transumptis, et exemplis etiam typis impressis, ac manu, seu caractere alicujus notarii publici subscriptis, sigilloque personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in judicio et extra illud adhibeatur, quæ eisdem literis originalibus adhiberetur si forent exhibitæ vel ostensæ.

Fides habenda transumptis.

§. 22. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ dismembrationis, separationis, suppressionis, extinctionis, erectionis, insti-

Sanctio poenalis.

tutionis, declarationis, disjunctionis, exemptionis, assignationis, subjectionis, statuti, applicationis, concessionis, indulti, decreti, reservationis, commissionis, mandati, facultatis, impartitionis, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contrahere: si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ de speciali mandato Nostro anno millesimo septingentesimo octuagesimo secundo pridie kalendas maii pontificatus Nostri anno octavo.

CCCLXXX.

Dat. die
26. maii
1782
Anno VIII.

Erectio provinciæ s. Felicis Valesii ordinis fratrum sanctissimæ Trinitatis redemptionis captivorum.

Dilecto filio moderno ministro generali ordinis fratrum ssmæ Trinitatis redemptionis captivorum exalceatorum nuncupatorum.

Pius PP. VI.

Dilecte fili salutem
et apostolicam benedictionem.

Expositio precum porrectarum a ministro generali ordinis.

§. 1. **E**xponi Nobis nuper fecisti, quod multis suadentibus, Nobisque cognititis de causis recto ordinis tui gubernio, ac administrationi, regularique observantiæ omnino necessarium sit, ut ex collegio Leopoliensi, ex conventu sancti Nicolai extra muros Leopoli, e conventu Tomnasoliensi, e conventu Stanysloviensi, e residentia Burstineasi, ac ex residentia Meliatensi, qui omnes conventus, seu residentie ad tuum pariter ordinem spectant, nova provincia cum titulo sancti Felicis Valesii constituatur. Nobis propterea humiliter supplicari fecisti, ut tibi in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Tenor concessionis.

§. 2. Nos igitur bono, ac regulari ordinis tui disciplinæ consulere volentes, teque a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurristi, hujus tau-

tum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes hujusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per præsententes committimus, ac mandamus, ut prædictos sex conventus, seu residentias a provincia, seu provinciis dicti tui ordinis, quibus de præsentibus uniti, ac annexi reperiuntur, auctoritate Nostra apostolica separe, atque disjungas, et ex eis, ut supra disjunctis, et dismembratis novam distinctam ejusdem ordinis provinciam sub titulo, ac invocatione sancti Felicis Valesii dicta auctoritate erigas, et instituas. Præterea tibi provincialem ministrum, quatuor definitores provinciales, redemptorem, procuratorem provincie, duos definitores generales, nec non superiores locales cujuscumque conventus, seu residentie dictæ provincie sic noviter erectæ ad tempus solitum in suis officiis duraturos, hac prima vice eligendi, seu deputandi plenam, et amplam facultatem harum serie eadem auctoritate tribuimus, et impertimur.

§. 3. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non quatenus opus sit, ordinis, et provinciarum, ac conventuum hujusmodi etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Imolæ sub annulo piscatoris, die vice-sima sexta maii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

Derogatio eorum tracionum.

Dat. die
5^o maii
1782
Anno VIII.

CCCLXXXI.

Electio s. Annæ in patronam civitatis,
et diœcesis s. Pauli in America Lu-
sitana.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

Expositio præ-
cum porrecta-
rum sacræ con-
gregationi Ri-
tuum, et te-
nor decreti ab
ea editi.

§. 1. **N**uper ad preces dilectorum
filiorum capituli, et cleri civitatis, et
diœcesis sancti Pauli in America Lusi-
tana a congregatione venerabilium fra-
trum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ec-
clesiæ cardinalium sacris Ritibus præ-
positorum editum fuit decretum, te-
noris qui sequitur = S. Pauli in America
Lusitana = Electa nuper a capitulo, et
clero civitatis, et diœcesis sancti Pauli
in America Lusitana sancta Anna bea-
tæ Mariæ virginis matre in patronam,
et protectricem prædictæ civitatis, et
diœcesis; modo ex parte ejusdem cleri
pro confirmatione prædictæ electionis
sacrorum Rituum congregationi humil-
lime supplicatum fuit; et sacra eadem
congregatio, accedente etiam rñi epi-
scopi assensu, ad mei infrascripti se-
cretarii relationem, attento quod hujus-
modi electio servatis servandis, et juxta
præscriptum in decreto san. mem. Ur-
bani pp. XIII. edito legitime facta fue-
rit, eandem confirmavit, et approbavit,
prædictæque sanctæ Annæ beatæ Mariæ
virginis matris sic in patronam, et
protectricem electæ, festivitati præro-
gativas omnes sanctorum patronorum,
et protectorum festis competentes at-
tribuit, atque concessit. Die xxviii maii
MDCCLXXII.

Loco ✕ Signi

L. card. Archinto præfectus
C. Aioldi S. R. C. secret.

Confirmatus
decretum au-
toritate apo-
stolica.

§. 2. **C**um autem sicut memorati
clerus, ac universitas, et homines No-
bis subinde exponi fecerunt, ipsi de-
cretum hujusmodi, quo firmius subsi-
stat, apostolicæ confirmationis Nostræ
patrocinio communiri plurimum desi-
derent. Nos specialem ipsis exponenti-
bus gratiam facere volentes, et eorum
singulares personas a quibusvis excom-
municationis, et interdicti, aliisque
ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœ-
nis quovis modo, et quacumque de cau-
sa latis, si quas forte incurrerint, hu-
jus tantum rei gratia absolventes, et ab-

Bull Rom. Tom. VI.

solutos fore censentes, supplicationibus
eorum nomine Nobis humiliter porre-
ctis inclinati, decretum præinsertum
auctoritate apostolica tenore præsentium
approbamus, et confirmamus, et illique
inviolabilis apostolicæ firmitatis robur
adiicimus; salva tamen semper in præ-
missis auctoritate memoratæ congrega-
tionis cardinalium.

§. 3. **D**ecernentes easdem præsen-
tes literas semper firmas, validas, et
efficaces existere, et fore, suosque ple-
narios, et integros effectus sortiri, et
obtinere, ac illis, ad quos spectat, et
in futurum spectabit plenissime suffra-
gari; sicque in præmissis per quoscum-
que iudices ordinarios, et delegatos,
etiam causarum palatii apostolici audi-
tores judicari, et definiri debere, ac
irritum, et inane si secus super his a
quoquam quavis auctoritate scienter,
vel ignoranter contigerit attentari.

Clausula su-
blata, et deere-
tum irritans.

§. 4. **N**on obstantibus constitutio-
nibus, et ordinationibus apostolicis, cæ-
terisque contrariis quibuscumque. Da-
tum Cæsennæ sub annulo piscatoris die
trigesima prima maii millesimo septin-
gentesimo octuagesimo secundo, pon-
tificatus Nostri anno octavo.

Derogatio con-
trariarum.

CCCLXXXII.

Confirmatur unio nonnullorum bono-
rum favore duorum hospitalium loci
Valreacii Vasionensis diœcesis facta.

Dat. die
15 junii
1782
Anno VIII.

Pius PP. VI.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. **A**lias pro parte dilectorum
filiorum consulum, ac universitatis, et
hominum loci Valreacii Vasionensis diœ-
cesis, nec non rectorum duorum hos-
pitalium, quorum alterum generale,
infirmorum alterum nuncupatur, con-
gregationi venerabilium fratrum Nostrorum
Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardina-
lium negotiis, et consultationibus ci-
vitatibus Avesionensis, et comitatus Ve-
nayssini præpositæ exposito, venerabi-
lem fratrem Karolum Franciscum epi-
scopum Vasionensem, in executorum
Nostri rescripti die xvii mensis de-
cembris elapsi anni MDCCLXXXI. ex-

Memorantur
acta facta pro
consequenda
unione bono-
rum duorum
hospitalium.

Q q q z

pediti, et per eos dicto Karolo Francisco episcopo exhibiti, nonnullas res, et bona in inventario prævie confecto descripta memoratis duobus hospitalibus sub certis pactis, et conditionibus per suum decretum die ultima januarii currentis anni editum, univisse, et incorporasse; subinde autem hujusce facti serie per eosdem proposita generali consilio in dicto loco die ix. insequentis mensis februarii habito, idem consilium cunctis suffragiis unionem, et applicationem hujusmodi acceptasse, et dilectos pariter filios cognominatos d'Alaçon nempe patrem, ejusque natum in alma urbe degentes deputasse ad hoc, ut eidem cardinalium congregationi pro obtinenda apostolica approbatione instrumenti super unione, et applicatione hujusmodi jam confecti supplicarent, cujus quidem instrumenti tenor est, qui sequitur, videlicet.

Tenor instrumenti celebrati super præviam unione.

§. 2. L'anno 1782., e il dì 30 del mese di gennaio monsig. illmo, e rmo Carlo Francesco de Pellissier de s. Ferreol per la Dio grazia, e della Santa Sede Apostolica vescovo di Vesone nel palazzo vescovile, e nella sala della sua ordinaria residenza, essendosi fatto in primo luogo presentare la lettera scrittagli da sua emza il sig. card. Pallavicini ministro, e segretario di stato di Nostro Signore in data del 12. novembre 1777., colia quale gli si ordina di venire alla formale suppressione della casa de' canonici regolari di s. Antonio del luogo di Valreas nella via ordinaria, e di assegnare a nome di sua Santità agl' individui della detta casa le rendite, ed entrate de' beni, e capitali ad essa spettanti, detratti prima i pesi, e le spese per il mantenimento della chiesa, e sagrestia, delle quali rendite, ed entrate sua Santità ha lasciata l'applicazione a monsig. vescovo, ed a suoi successori per quegli usi pii, che giudicherà più utili, e convenienti, essendogli state le stesse facultà confermate dalla Santità sua col carattere di delegato pontificio, mediante ultra lettera del lodato emò in data del 1.º aprile 1778.

In secondo luogo avendo presente il memoriale umiliato al s. Padre dai signori consoli, e comunità di Valreas unitamente co' signori rettori de' due spedali, col quale imploravano l'unione delle case, chiesa, e giardino della soppressa casa di s. Antonio a detti due ospedali, e l'unione di tutti gli altri beni qualsivieno della detta casa al solo spedale de' poveri infermi privatamen-

te, a piedi del quale memoriale esiste il rescritto di sua Beatitudine del seguente tenore = Ex audientia ssmi die 17. decembris 1781. = Ssmus dñus Noster remisit preces ad rñum dñum episcopum Vasionensem = L. card. Pallavicini prævfectus = E finalmente essendosi fatto presentare il lodato monsig. vescovo l'istanza fattagli da detti signori consoli, e rettori, col suo rescritto de' 28 dicembre passato, e l'inventario fatto in esecuzione, ed in sequela del detto rescritto, della casa, e giardino, chiesa, e sagristia della detta casa di s. Antonio, di tutti i beni, fondi, stabili, crediti, capitali, pensioni, titoli, documenti, nomi, diritti, ragioni, azioni, e pretensioni generalmente qualsivieno della stessa casa, quale inventario è stato posto negli atti della sua cancellaria vescovile.

Dopo di avere monsignor vescovo considerato il tutto, in correlazione del suo rescritto posto nella suddetta supplica de' 28. dicembre scorso, ed in esecuzione di esso, volendo gratificare li detti due spedali di Valreas, per le presenti sotto il beneplacito, e gradimento di sua Santità, e sotto la condizione espressa, che le presenti verranno autorizzate, ed approvate dalla stessa Santità sua a spese, e pensiero de' consoli, e rettori de' due spedali di detto luogo di Valreas, ha unito, ed applicato, siccome unisce, ed applica a questi le case, chiesa, e giardino di s. Antonio posti nel recinto di Valreas, nel quarto *Bertrude*, ad effetto di edificarvi, allorchè le entrate lo permetteranno, e che sarà stimato conveniente da monsignor vescovo, o suoi successori, un corpo di fabbrica per ciascuna, e rispetto a tutti gli altri beni, fondi, capitali, pensioni, nomi, diritti, ragioni, azioni, e pretensioni generalmente qualsivieno della detta casa di s. Antonio li ha uniti, ed applicati, siccome li unisce, ed applica al detto spedale de' poveri infermi privatamente insieme a un dipresso a seicento lire di arretrati di pensioni provenienti da detti capitali dovuti da varj particolari, e scaduti sino al giorno d'oggi, con tutte le riserve, patti, qualità, condizioni, e forme seguenti, e non altrimenti.

Primieramente, che per prevenire gl'inconvenienti della unione de' detti due spedali, e perchè reciprocamente l'un l'altro non s' incomodino allorchè vi sarà questione di edificare, si disporranno coll'approvazione dello stesso monsignor vescovo, e suoi successori le fab-

briche in modo, che le due case saranno affatto separate l'una dall'altra, e non potranno avere alcuna comunicazione fra loro, e niente s'incomoderanno.

Item che mediante la remissione suddetta de' beni di s. Antonio, li detti due spedali saranno dichiarati, e riconosciuti ora, e nell'avvenire opere pie ecclesiastiche, quantunque amministrate da rettori ecclesiastici, e laici, sotto l'autorità di monsignor vescovo, che riserva a se, ed a suoi successori tutta la superiorità, e giurisdizione sulli detti due spedali, che gli compete sopra tutte le opere pie della sua diocesi: che relativamente a detti signori amministratori non potranno in avvenire dare esecuzione a veruna deliberazione tendente a fare prestiti, alienazioni de' fondi urbani, e rustici, fabbriche, e altre spese straordinarie senza la previa approvazione in iscritto di monsignor vescovo, e suoi successori, sotto la pena di nullità, o di doverne render conto i detti signori amministratori a loro proprio, e privato nome, e che si uniformeranno in tutto il resto al diritto, che compete a vescovi sulle opere pie ecclesiastiche delle loro diocesi.

Item, che nel termine di tre mesi sarà reso conto a monsignor vescovo della somma di duemila lire mandate ultimamente al sig. avvocato Alançon in Roma, ordinandosi ciò nella lettera dell'emo sig. card. Pallavicini diretta a monsig. vescovo in data dei 3. ottobre 1781.

Item, che li detti spedali adempiranno, e saranno tenuti a tutti, e qualsivieno pesi imposti sopra i beni di s. Antonio, faranno soddisfare tutte le fondazioni, pagheranno al sig. Champagne ultimo individuo della detta casa la pensione vitalizia di 900 lire assegnategli, il di cui primo semestre deve cadere li 4 marzo prossimo, e soddisferanno dall'altra parte a tutti gli altri obblighi, de' quali i beni di s. Antonio sono, e saranno gravati nell'avvenire.

Item, che la detta comunità di Valreas, o gli ospedali saranno tenuti di pagare tutte, e singole le spese dell'inventario suddetto, e tutti, e singoli gli atti, e registri fatti, e da farsi relativamente alla unione de' beni di s. Antonio a detti ospedali, e sotto tutte le suddette riserve, patti, qualità, condizioni, e accettazioni, e non altrimenti monsig. vescovo ha trasportati, e trasporta irrevocabilmente a detti spedali nella forma, e modo suddivisati, li suddetti beni

urbani, e rustici della casa di s. Antonio, sotto tutte le clausole di spoglio, investizione, e di altre traslative richieste, e necessarie.

Ed affinché le presenti siano note ai signori rettori de' due spedali monsignor vescovo ha ordinato, che se ne debba spedire copia da noi segretario cancelliere vescovile, o dal nostro sostituto, che monsignor vescovo deputa a questo effetto, a ciascuno del collegio di detti spedali congregati, e saranno passate a quelli dello spedale de' poveri infermi le carte, titoli, e documenti descritti nel suddetto inventario, delle quali carte, e titoli si obbligheranno nella stessa deliberazione, in cui si accetterà la richiesta unione sotto le condizioni sopra espresse. Ordinando per ragione delle sopraddette cose tutte le provvidenze richieste, e necessarie. Dato a Vaison nel nostro palazzo vescovile l'anno, e giorno suddetto col nostro segno e sigillo della nostra cancellaria = Carlo Francesco vescovo di Vaison. = Giraudy segretario cancelliere.

Io sottoscritto ho fedelmente tradotto de verbo ad verbum dal Francese nell'Italiano il prescrite istromento. In fede etc. questo di 12. giugno 1782.

= Felice Alessandri =

§. 3. Hinc eadem sacra congregatio edidit decretum tenoris sequentis, nempe = Sacra congregatio eminentissimorum, et reverendissimorum S. R. E. cardinalium negotiis, et consultationibus civitatis Avenionensis, comitatusque Venayssini preposita, visis facultatibus apostolicis de mandato ss^mi domini Nostri Pii pp. VI. per epistolam secretariæ status diei 12 novembris 1777. r^mo episcopo Vasionensi traditis, nec non visis videndis, ac omnibus mature consideratis, præsertim instrumentum applicationis domus, ecclesiæ, bonorum, ac reddituum, jam ad canonicos regulares ordinis hospitalis sancti Antonii de s. Antonio denominati spectantium, a dicto r^mo episcopo Vasionensi in vim dictarum apostolicarum facultatum factæ favore tam hospitalis generalis, quam hospitalis infirmorum Valreacii Vasionensis diocesis, eadem apostolica auctoritate ejusdem ss^mi domini Nostri Pii papæ sexti juxta illius tenorem, formam, et continentiam approbavit, atque confirmavit: omniaque, et singula in præfato instrumento contenta, et expressa omnino exequi, ac observari mandavit, contrariis quibus-

Tenor decreti
lati a s. congr
gatione Aven
nionensi, et
Venayssina
pro confirma
tione instru
menti.

cumque non obstantibus. Datum ex ædibus Vaticani hac die 5. junii 1782.

L. card. Pallavicinus præfectus

Loco ✕ Signi

= F. M. Luzi secretarius =

Præes porrectæ pro consequenda confirmatione apostolica, et tenor prædictæ confirmationis

§. 4. Cum autem sicut dicti cognominati d' Alançon Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi decretum hujusmodi quo firmiter existat, et servetur exactius apostolicæ confirmationis Nostræ patrocínio communiti summopere desiderent. Nos dictos exponentes specialibus gratiis, et favoribus prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati: præinsertum memoratæ cardinalium congregationis decretum auctoritate apostolicæ, tenore præsentium confirmamus, et approbamus, illique inviolabilis apostolicæ firmitatis robor adiicimus, omnesque, et singulos juris, et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus, et sanamus.

Clausula sublata, et decretum irritans.

§. 5. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctæ Romæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, et apostolicæ Sedis nuntios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariarum.

§. 6. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, et ordinationibus apostolicis, nec non universitatis, et hospitalium prædictorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superio-

ribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permauris ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Petrum sub annulo piscatoris die decima quinta junii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostrî anno octavo,

CCCLXXXIII.

Imminutio festorum in diocesi Aveirensi.

Venerabili fratri episcopo Aveirensi

Pius PP. VI.

Venerabilis frater salutem, et apostolicam benedictionem

§. 1. Cum, sicut quædam sunt, ut inquit sanctus Leo Magnus, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oportet temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum invenitur adversum: ea propter apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis interponere auctoritatem, quæ cæteroquin ad majus divini cultus incrementum præscripta, aut per frigiditatem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariorum inopiam, non sine conscientie angore contemnantur.

§. 2. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem

Dat. die
9. julii
1782
Anno VIII.

Præmium

Expositio præcæ, et ratio concessionis.

fraternitati tuæ innotuit in tua diœcesi Aveirensi adeo excreverunt calamitates , et angustiae propter praesentium temporum infortunia , ut miseri illius habitatores , incolaeque , et praesertim ii , qui in sudore vultus sui panem comedunt , persæpissime cogantur (quamvis animo invito) dies festos negligere , operibusque mechanicis se se addicere pro pane lucrando , idque eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum ; ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit , ut in praemissis opportune providere , et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 3. Nos itaque , qui Christifidelibus quantum cum Domino possumus , salutare remedium potius ad aeternam salutem comparandam , et humanam vitam honeste substinendam adhibere , quam per severiorem Ecclesiae disciplinae rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus , dictos incolas specialibus gratiis , et favoribus prosequi volentes , et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis , et interdicti , aliisque ecclesiasticis censuris , sententiis , et poenis quovis modo , et quacumque de causa latis , si quas forte incurrerint , hujus tantum rei gratia absolventes , et absolutos fore censentes , hujusmodi supplicationibus inclinati : fraternitati tuæ per praesentes committimus , et mandamus , quatenus constituto tibi de narratis , omnibus utriusque sexus Christifidelibus in praedicta tua Aveirensi diœcesi existentibus , ut deinceps , exceptis omnibus diebus dominicis , nec non Natalis Domini Nostri Jesu Christi , et sequenti sancti Stephani , Circumcisionis , Epiphaniae , Paschatis resurrectionis , et sequenti , Pentecostes , et sequenti , ac Corporis Christi , Ascensionis , sancti Joannis Baptistae , sancti Josephi , ac sanctorum Petri , et Pauli , et Jacobi apostolorum , nec non commemorationis omnium sanctorum ; praeterea quinque dicatis Beatæ Mariæ virgini immaculatæ , scilicet Purificationis , Annunciationis , Assumptionis , Nativitatis , et Conceptionis , nec non sancti patroni , aut tutelaris cujuslibet loci dumtaxat , festivis diebus , in quibus integra maneat praeccepti obligatio. In reliquis vero festis sive per hanc sanctam Sedem praecceptis , sive per synodales ejusdem diœcesis constitutiones , sive quacumque alia de causa , etiam ex causa voti per majores suos facti (quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus) praecceptis , praescriptisque , audita missa ,

laboriosis suarum artium exercitationibus , servilibusque operibus , sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint , auctoritate Nostra apostolica concedas , et indulgeas , permittas , ac statuas , praecipias , et mandes.

§. 4. Non obstantibus apostolicis , ac in universalibus , provincialibusque , et synodalibus conciliis editis generalibus , vel specialibus constitutionibus , et ordinationibus , nec non diœcesis praedictæ , illiusque locorum etiam juramento , confirmatione apostolica , vel quavis firmitate alia roboratis statutis , et consuetudinibus ; privilegiis quoque , indultis , et literis apostolicis superioribus , et personis sub quibuscumque tenoribus , et formis , ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis , aliisque efficacioribus efficacissimis , ac insolitis clausulis , irritantibusque , et aliis decretis in genere , vel in specie , ac aliis in contrarium quomodolibet concessis , approbatis , et innovatis. Quibus omnibus , et singulis illorum tenores praesentibus pro plene , et sufficienter expressis , ac de verbo ad verbum insertis habentes , illis alias in suo robore permansuris , ad praemissorum effectum , hac vice dumtaxat , specialiter , et expresse derogamus , cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris die nona julii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo , pontificatus Nostri anno octavo.

Derogatio derogatoriis.

Tenor concessionis arbitrario commissæ episcopi diœcesani , cum suis declarationibus.



CCCLXXXIV.

Dat. die
16. Julii
1782

anno VIII.

Suppressio, ac nova assignatio nonnullarum portionum, seu præstimoniorum super fructibus nonnullarum parochialium Lisbonensis, et aliarum diocesium.

Pius Episcopus

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Præmissum

§. 1. **L**audabile regia potestate fulgentium personarum obsequium, atque filialis reverentiæ specimen erga Nos, et apostolicam Sedem semel ac iterum perspectum pontificia commendatione Nostra prosequentes ea nonnunquam movemur, quæ a Nobis pridem ad eorum instantiam pro rependendis subditorum personis indulta ministerio ampliationis concessa extiterunt, recognitis inde, quæ in posterum insurgere poterunt, incommodis libentissime cum a Nobis petitur, revocare, eaque novo rerum ordine denuo elargiri, prout æquitas suadet, regumque ipsorum pietas ac religio postulat, et Nos in Domino conspiciamus convenire.

Tenor præsentium jam prædictarum a rege Portugallie et Algarbiorum pro obtinenda assignatione portionum super fructibus parochialium favore infantis regii.

§. 2. Cum itaque carissimus in Christo filius Noster Petrus Portugallie, et Algarbiorum rex fidelissimus alias Nobis exposuerit, ipsum uti administratorem domus, et status Portugallie regni infantis privilegio gaudere præsentandi ad nonnullas parochiales ecclesias, quæ, ut accepimus, de regio jurepatronatus ex fundatione, vel dotatione existant, super quarum respective fructibus, redditibus, et proventibus certæ portiones, seu præstationes annuæ personis eidem regio infanti gratis, et acceptis ab eodem distribuendæ, et assignandæ apostolica auctoritate alias constitutæ reperiuntur cum indulto eidem regio infanti pro tempore existenti eadem apostolica auctoritate concessa, quod portionibus, seu præstationibus hujusmodi ex personis illas percipientibus quovis modo cessantibus, durante cessatione hujusmodi, illarum respective fructus in ejusdem regii infantis favorem cedere debeant. Cumque ex tunc dictus Petrus rex fidelissimus perspectum haberet, portiones, seu præstationes prædictas minus sufficientes esse nedum ad nobiles personas eidem regio infanti benevisas juxta eorum conditiones, et merita sui magis, et grati animi si-

gnificationibus prosequendas, sed etiam ad augendum, prout deceet, splendorem dilectissimi filii Nostri Joannis dicti Petri regis secundogeniti, ac dicti regni, domus, et status regii infantis immediate successoris, ut sic magis decore suæ magnanimitatis, et pietatis actus exerce- re valeret, impares existere. Ideoque dictus Petrus rex de carissimæ in Christo filie Nostræ Mariæ Franciscæ Portugallie, et Algarbiorum reginæ fidelissimæ approbatione, Nobis supplicaverit, quatenus super infrascriptarum tunc prout etiam ad præsens vacantium parochialium ecclesiarum, quæ ut etiam accepimus, de dicto regio jurepatronatus existunt, et ad quas eidem Petro regi uti administratori prædicto jus præsentandi competit respective fructibus certis aliæ infrascriptæ portiones, seu præstationes annuæ arbitrio dicti regii infantis, ejusque status, et domus hujusmodi secessorum pro tempore existentium personis nobilibus sibi gratis, et acceptis distribuendæ, et assignandæ apostolica auctoritate per Nos constituerentur cum simili indulto, quod portionibus, seu præstationibus hujusmodi cessantibus, illarum respective fructus, durante cessatione hujusmodi, in ejusdem regii infantis pro tempore existentis favorem ad formam dicti præcedentis apostolici indulti cedere deberent, et decreto, quod ii, ad quos vel de jure, aut in vim contractuum, seu de consuetudine infrascriptarum parochialium ecclesiarum, aut cappellarum majorum nuncupatarum dumtaxat, et sacrariorum reparationes spectabunt etiam ad formam ejusdem præcedentis indulti facere tenerentur.

§. 3. Nos præmissis omnibus tunc benigne annuendo super unius de Cheleroz, cujus quadrigentorum duas centum pro qualibet: ac alius de Poroz, cujus ducentorum, et quadraginta unum centum: ac alius de Bucellas respective prioratus nuncupatarum Lisbonensium, cujus nonigentorum, et septuaginta quatuor centum et viginti: ac alius de Gontinhaens Bracharensis, cujus etiam trecentorum et septuaginta unum centum et viginti: ac alius de Esmoriz Portugalleosis, cujus quingentorum et sexaginta ex decimis, et terris vulgo Passas provenientibus tres nonaginta pro qualibet, Alius de Crasto Daire abbatiæ etiam nuncupatæ Lamacensis, cujus nonigentorum, et sexaginta quatuor centum pro qualibet: ac alius de Macieira de Cambra, cujus sexcentorum, et

Assignantur portiones reddituum parochialium.

decem tres centum pro qualibet. Ac alius de Capelloz, cujus ducentorum, et nonaginta unam centum. Ac alius de Roge, cujus quingentorum, et quadragesima duas centum, et viginti pro qualibet. Ac alius de Curegoza Aveirensis, cujus trecentorum et quinquaginta unam centum, et decem. Ac alius de Aroens, cujus septingentorum, et triginta tres centum et decem pro qualibet. Ac reliquarum parochialium ecclesiarum de Fornoꝝ respective abbatiarum etiam nuncupatarum respective locorum Colimbriensis respective diœcesis, cujus et illis forsitan respective annexorum trecentorum et quinquaginta ducatorum auri de camera respective fructus, redditus, et proventus certi tantum secundum communem æstimationem valorem annum, ut assereretur, non excedebant unam respective portiones, seu præstationes annuas centum, et viginti ducatorum auri hujusmodi arbitrio dicti regii infantis, ejusque status, et domus hujusmodi successorum pro tempore existentium personis nobilibus sibi gratis, et acceptis distribuendas, et assignandas summas prædictas a respective posteriorum parochialium ecclesiarum hujusmodi fructibus prædictis abdicando, et separando. Et dummodo ex uniuscujusque dictarum posteriorum parochialium ecclesiarum fructibus, redditibus, et proventibus illarum respective rectoribus pro tempore existentibus centum ducati auri de camera hujusmodi liberi, et deductis omnibus illarum respective oneribus annualim remanerent, cum decreto tamen quod in eventum, in quem parochiales ecclesie posteriores ad nominationem regii infantis pro tempore existentis a Sede apostolica conferri contingeret, illarum respective fructus certi superius expressi, non obstante abdicatione, seu separatione prædicta diminui non possent per Nostras literas apostolicas incipientes = Consueta christianorum principum ec. = sub datum idibus martii, pontificatus Nostri anno octavo apostolica auctoritate perpetuo constituimus, et assignavimus, aliaque præmissa concessimus, indulgimus, et decrevimus.

Tenor novam præcum.

§. 4. Cum autem sicut dictus Petrus rex Nobis nuper exponi fecit, ante prædictarum apostolicarum literarum executionem compertum fuerit, posteriorum parochialium ecclesiarum hujusmodi respective fructus, redditus, et proventus certos ad summas superius, et in dictis literis respective tunc expressas non ascendere,

Bull. Rom. Tom. VI.

et haud parum minores existere, proptereaque nisi illorum respective rectoribus congruæ certæ, ut infra, constituerentur, et assignarentur, multa dubia, et controversiæ inter dictos rectores, et personas hujusmodi portiones, seu præstationes prædictas percipientes, orirentur; ideoque dictus Petrus rex ad hujusmodi inconvenientia evitanda, et ad hoc, ut dictarum posteriorum parochialium ecclesiarum rectores prædicti de eorum respective congrua certa præter stolæ incerta reddantur indemnes, Nobis de simili prædictæ Mariæ Franciscæ reginæ fidelissimæ approbatione supplicaverit, quatenus eisdem rectoribus in præmissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur.

§. 5. Nos igitur tam justis, ac piis ejusdem Petri regis hac in parte exhibitis votis, et petitionibus benigne, libentique animo annuere volentes, portiones, seu præstationes hujusmodi a Nobis, ut præfertur, constitutas eadem apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo extinguimus, et annullamus. Et unam centum, et viginti quinque ducatorum auri hujusmodi, et juliorum duodecim monetæ Romanæ cum dimidio alterius julij similis super unius de Cheleiroz cujus ad trecentorum, et quinquaginta. Ac aliam centum, et quatuordecim ducatorum auri similium et juliorum quinque monetæ prædictæ super alius de Poroz, cujus ad ducentorum et triginta. Ac aliam ducentorum, et viginti octo ducatorum auri hujusmodi, et juliorum decem monetæ prædictæ super alius de Bucellas respective prioratus nuncupatus, Lisbonensis, cujus ad octingentorum. Ac aliam centum, et quadragesima duorum ducatorum auri parium, et juliorum quindecim ejusdem monetæ super alius sanctæ Marinhæ de Guteloens abbatie nuncupatæ cujus ad trecentorum et quindecim. Ac aliam etiam centum, et quadragesima duorum ducatorum auri similium, et juliorum quindecim dictæ monetæ super alius de Gontinhaeus Bracharensis, cujus etiam ad trecentorum, et quindecim. Ac aliam centum et septuaginta unius ducatorum auri hujusmodi, et juliorum septem dictæ monetæ cum dimidio alterius julij similis super alius de Esmoriz Portugallensis, cujus ad quadragesimorum, et sexaginta ex decimis, et terris vulgo Passaes provenientibus. Ac aliam ducentorum et viginti octo ducatorum auri de camera hujusmodi, et juliorum decem monetæ prædictæ su-

Tenor conventionis.

R r r

per alius de Crasto Daire abbatiae etiam nuncupat. Lamacensis, cujus ad octingentorum. Ac aliam centum, et octuaginta duorum ducatorum auri hujusmodi, et juliorum quindecim dictae monetae super alius de Macieira de Cambra, cujus ad quingentorum et quindecim. Ac aliam centum et duorum ducatorum auri similium, et juliorum quindecim ejusdem monetae super alius de Capelloz, cujus ad ducentorum et triginta duorum. Ac aliam centum et septuaginta unius ducatorum auri parium, et juliorum septem dictae monetae cum dimidio alterius julij similis super alius de Roge, cujus ad quadringentorum et sexaginta. Ac aliam centum et viginti quinque ducatorum auri hujusmodi, et juliorum duodecim dictae monetae cum dimidio alterius julii similis super alius de Caregoza Aveirensis, cujus ad ducentorum, et nonaginta. Ac aliam centum, et septuaginta unius ducatorum auri parium, et juliorum septem monetae praedictae cum dimidio alterius julii similis super alius de Aroens, cujus ad quingentorum, et nonaginta. Ac reliquam respective congruas certas dictis stolae incertis non comprehensis, quae ad eodem respective rectores spectare debent. Centum, et quatuordecim ducatorum auri hujusmodi, et juliorum quinque monetae praedictae super reliquae posteriorum parochialium ecclesiarum de Fornez respective abbatiae nuncupat. respective locorum Colimbriensis respective dioecesis cujus, et illis forsam respective annexorum, respective fructus, redditus, et proventus certi tantum ad ducentorum, et nonaginta ducatorum auri de camera secundum communem aestimationem valorem annum circiter ascendunt, unicuique ex praedictis rectoribus dicta apostolica auctoritate earundem tenore praesentium perpetuo etiam respective constituimus, et assignamus; ex superextantibus vero dictarum posteriorum parochialium ecclesiarum respective fructibus, redditibus, et preventibus praedictis duo inter se aequalis summam super de Bucellas Lisbonensis. Et duo etiam inter se aequalis summam praestimonia super de Crasto Daire Lamacensis praedictarum respective dioecesium. Ac super uniuscujusque reliquarum posteriorum parochialium ecclesiarum hujusmodi respective fructibus, redditibus, et preventibus praedictis superextantibus unum praestimonium arbitrio dicti regii infantis, ejusque status, et domus hujusmodi successorum pro tempore existentium personis nobilibus sibi gra-

tis, et acceptis distribuenda, et assignanda loco portionum, seu praestationum extinctarum, et annullatarum praedictarum dicta apostolica auctoritate, etiam perpetuo constituimus. Eidemque moderno regio infanti, ejusque ad domum, et statum praedictos successoribus praedictis, quod praestimoniis hujusmodi, aut illorum aliquo ex personis, seu persona illa, seu illud percipientibus, seu percipiente quomodolibet cessantibus, seu cessante, illorum, seu illius fructus donec illa, seu illud de novo assignari videbitur in favorem regii infantis pro tempore existentis ad formam primodicti praecedentis indulti apostolici cedere debeant eadem apostolica auctoritate de novo concedimus, et indulgemus.

§. 6. Nec non easdem praesentes literas semper, et perpetuo validas, et efficaces esse, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos nunc spectat, et pro tempore quodcumque spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari debere; sicque, et non alias per quoscumque iudices ordinarios, vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos, vicelegatos, dictaeque Sedis nuncios judicari, et definiri debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

Clausula subla-
ta, et decre-
tum irritans.

§. 7. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra, et cancellariae apostolicae regula de jure quaesito non tollendo, ac quatenus etiam opus sit, constitutione pia memoriae Benedicti pp. XIII. praedecessoris Nostri parochiales ecclesias pensionibus gravari prohibente, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, et universalibus conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, et ordinationibus apostolicis; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis quibusvis superioribus, et personis in genere, vel in specie, aut alias in contrarium praemissorum quomodolibet forsam concessis, approbatis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut ali-

Derogatio con-
trarium.

qua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, etiam inserti forent, presentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime, et plenissime hac vice dumtaxat ad premissorum validissimum effectum specialiter, et expresse, nec non opportune, et valide harum quoque serie derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Peculiares dispositiones.

§. 8. Similiter autem volumus, quod ii, ad quos vel de jure, aut in vim contractuum, vel de consuetudine posteriorum parochialium ecclesiarum, aut cappellarum majorum nuncupatarum dumtaxat, ac sacrariorum reparationes spectant etiam ad formam ejusdem primodicti præcedentis indulti apostolici facere teneantur. Injuncto insuper onere personis præstimonia prædicta respective percipientibus, illis vero cessantibus, prædicto Petro regi fidelissimo, ejusque regio infanti pro tempore existenti, ad quos interim illorum fructus spectare debebunt, ut præferatur, dictas congruas prædictis respective rectoribus integre persolvendi juxta modum, quo alia præstimonia, quæ idem Petrus rex fidelissimus administrat, constituta reperiuntur, et juxta quem commendæ trium ordinum militarium Christi, ac sancti Benedicti de Aviz, et sancti Jacobi apostolica auctoritate erectæ fuerunt. Ac præterea etiam volumus, quod in eventum, in quem parochiales ecclesiæ posteriores ad nominationem regii infantis pro tempore existents a Sede apostolica conferri contingat, illarum respective fructus certi superius expressi, non obstante abdicatione, seu separatione hujusmodi, diminui non possint.

Sententia poenalis.

§. 9. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ extinctionionis, annullationis, constitutionis, assignationis, novæ concessionis, indulti, decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, et Pauli apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctam Mariam Maiorem anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, sexto decimo kalendas augusti, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCLXXXV.

Dat. die
16 julii
1782
Anno VIII.

Conceduntur nonnulla privilegia sociis commissarii visitoris aggregatorum tertii ordinis sancti Francisci Lisbonensis.

Pius PP. VI.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Cum Nos alias per Nastras in simili forma Brevis die xix. februarii MDCCLXXXII. expeditas literas precibus dilecti filii Joannis Petri de Melo sacerdotis principalis patriarchalis ecclesiæ Lisbonensis, qui est modernus minister aggregatorum utriusque sexus tertii ordinis nuncupati sancti Francisci ejusdem civitatis Lisbonensis annuendo fratribus ejusdem tertii ordinis congregationis sancti Francisci in regnis Portugalliæ, et Algarbiorum existentibus, qui per sexennium continuum munere commissarii visitoris eorundem aggregatorum, quatenus prædicatores essent, functi sint, privilegia, exemptiones, prærogativas definitorum, si per duodecim annos privilegia ex-provincialium, quatenus vero ex-definitores, vel doctores in theologia, vel lectores jubilati essent, dum per sexennium exercuerint, ex-provincialium privilegia cum voto in capitulo provinciali intuitu laborum, quos officii hujusmodi causa suscipere tenentur, auctoritate apostolica concessimus, ac indulserimus, prout in dictis literis uberius continetur.

Memorantur alie literæ ad eundem effectum expeditæ, favore ministri aggregatorum utriusque sexus tertii ordinis s. Francisci.

§. 2. Memoratus Joannes Petrus de Melo minister, ut præferatur, aggregatorum dicti tertii ordinis sancti Francisci Nobis nuper exponi fecit, quod cum socij dicti commissarii visitoris non secus ac commissarius visitor ob spirituale regimen dictorum aggregatorum plures labores exantlare teneantur, vicesque illius necessitate id exigente gerere, Nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica dignaremur.

Exponitur novæ preces ab eodem ministro portectæ.

§. 3. Nos igitur ejusdem exponentis precibus annuere volentes, ac singulares dictorum sociorum personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, supplicationibus

Tenor concessionis.

Nobis humiliter porrectis inclinati, sociis commissarii visitoris prædicti pro tempore existentibus, quatenus ipsi per duodecim continuos annos prædictum coadjutorum, seu sociorum munus præstiterint, ut omnibus, et singulis privilegiis, ac gratiis, et exemptionibus, prærogativis, quibus tam de jure, usu, et consuetudine, quam alias quomodolibet in dicto ordine, qui definitoratus officium gesserunt utuntur, fruuntur, et gaudent, ac uti, frui, et gaudere possunt, et poterunt in futurum, pari modo uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et valeant auctoritate apostolica harum serie perpetuo concedimus, et impertimur. Cum porro, sicut accepimus, dilecti filii Christophorus a sancto Bonaventura actualis commissarius visitor, ac Joseph Joachim a domina Nostra, et Antonius a sancto Clemente actuales socii, et coadjutores hujusmodi omnibus dictis requisitis qualitatibus polleant, nec non præscriptum annorum tempus suum respective officium laudabiliter præstiterunt, ut omnibus, et singulis memoratis gratiis, præminentis, prærogativis, et privilegiis uti, frui, et gaudere libere, ac licite possint, et debeant, auctoritate, et tenore prædictis declaramus, et quatenus opus sit, illis concedimus, et indulgemus.

Clausula salutares, et irritantes

§. 4. Decernentes easdem præsentis literas semper firmas, validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, et per omnia plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in præmissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales etiam de latere legatos, ac sanctæ Sedis nuncios, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate iudicari, et definiri debere, ac irritum, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum.

§. 5. Non obstantibus in quibusvis capitulis generalibus, aut provincialibus, ac apostolicis constitutionibus, et ordinationibus, nec non dicti ordinis, et provinciæ etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis stantibus, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub

quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub anulo piscatoris, die decima sexta julii millesimo septingentesimo octingentesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

CCCLXXXVI.

Inimutio festorum in diocesi
Leyriensi.

Venerabili fratri episcopo Leyriensi,

Pius PP. VI.

Venerabilis frater
Salutem, et apostolicam benedictionem.

§. 1. Cum, sicut quedam sunt, ut inquit sanctus Leo magnus, quæ nulla possunt ratione convelli, ita multa sint, quæ aut pro consideratione ætatum, aut pro necessitate rerum oporteat temperari, illa semper conditione servata, ut in iis, quæ vel dubia fuerint, aut obscura, id noverimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum inveniatur adversum; ea propter apostolica hæc sancta Sedes pro paterna erga universos Christifideles benignitate, quoad integrum sibi fuit, consuevit supremam suam in iis auctoritatem interponere, quæ cæteroquin ad majas divini cultus incrementum præscripta, aut per frigescentem in nonnullorum cordibus charitatem ad otium, luxuriamque convertuntur, aut ob rerum ad vitam traducendam necessariorum inopiam, non sine conscientie angore contemnantur.

Ratio concessionis.

§. 2. Quoniam autem, sicut pro parte tua Nobis expositum fuit, eidem

Expositio præcedentium.

Dat. die
5o. julii
1782
Anno VIII.

fraternitati tuæ innotuit in tua diœcesi Leyriensi adeo excreverunt calamitates, et angustiae propter praesentium temporum infortunia, ut miseri illius habitatores, incolaeque, et praesertim ii, qui in sudore vultus sui panem comedunt, persæpissime cogantur (quaravis animo invito) dies festos negligere, operibusque mechanicis sese addicere pro pane lucrando, idque eo facilius contigit ob excretum dierum festorum numerum, ac propterea Nobis humiliter supplicatum fuit, ut in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate apostolica digneremur.

Tenor concessionis.

§. 3. Nos itaque, qui Christifidelibus, quantum cum Domino possumus, salutare remedium potius ad æternam salutem comparandam, et humanam vitam honeste sustinendam adhibere, quam per severiorem ecclesiasticæ disciplinæ rigorem ad desperationem inopes adducere cupimus, dictos incolas specialibus gratiis, et favoribus sequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et pœnis quovis modo, et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati: fraternitati tuæ per praesentes committimus, et mandamus, quatenus constituto tibi de narratis, omnibus utriusque sexus Christifidelibus in praedicta tua diœcesi Leyriensi existentibus, ut deinceps exceptis omnibus diebus dominicis, nec non natalis Domini Nostri Jesu Christi, et sequenti sancti Stephani, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis Resurrectionis, et sequenti, ac Corporis Christi, Ascensionis, sancti Joannis Baptistæ, sancti Josephi, ac sanctorum Petri, et Pauli, et Jacobi apostolorum, nec non commemorationis omnium sanctorum; praeterea quinque dicatis beatæ Mariæ virgini immaculatæ, scilicet Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis, nec non sanctorum patroni, aut tutelaris cujuslibet loci dumtaxat, festivis diebus, in quibus integra maneat præcepti obligatio: in reliquis vero festis sive per hanc sanctam Sedem præscriptis, sive per synodales ejusdem diœcesis constitutiones, sive quacumque alia de causa etiam ex causa voti per majores suos facti (quod quoad hanc partem etiam auctoritate Nostra apostolica per te commutari volumus) præ-

ceptis, præscriptisque, audita missa, laboriosis suarum artium exercitationibus, servilibusque operibus, sine ullo prorsus conscientiae scrupulo vacare possint, auctoritate Nostra apostolica concedas, et indulgeas, permittas, ac statuas, præcipias, ac mandes.

§. 4. Non obstantibus apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque, et synodalibus conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non diœcesis praedictæ, illiusque locorum etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis apostolicis superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die trigesima Julii millesimo septingentesimo octuagesimo secundo, pontificatus Nostri anno octavo.

Derogatio contrariorum.

